







DE GOLDONIO

ITALICÆ SCÆNÆ CORRECTORE

NANTIACI. — EX TYPIS BERGER-LEVRAULT ET SOCIORUM

DE

GOLDONIO

ITALICÆ SCÆNÆ CORRECTORE

THESIM

Facultati litterarum parisiensi proponebat ad doctoris gradum promovendus

C. RABANY



PARISIIS ET NANTIACI

APUD BERGER-LEVRAULT ET SOCIOS, EDITORES

VIA DICTA RUE DES BEAUX-ARTS, 5

M D CCC XCIII


MAY 21 1898
LIBRARY.

DE GOLDONIO

ITALICÆ SCÆNÆ CORRECTORE

PARS PRIMA

Eminentem locum obtinet Goldonius inter italicos scriptores qui octavo decimo sæculo post Christum floruerunt. « Italiæ Molierus » ab æqualibus nominabatur; hunc Voltarius cecinit ingenioso et concinno carmine[1]; quem « naturæ pictorem et filium » appellat[2] et illi gratulatur de « Italia a Gothis liberata ».

1. En tous pays on se pique
De molester les talents;
Goldoni voit maint critique
Combattre ses partisans;

On ne savait à quel titre
On doit juger ses écrits;
Dans ce procès on a pris
La nature pour arbitre.

Aux critiques, aux rivaux
La nature a dit sans feinte :
« Tout auteur a ses défauts,
Mais ce Goldoni m'a peinte. »

(Epistola italico sermone scripta ad marq. Albergati Capacelli, die 19 mensis junii 1760. *Voltaire,* éd. Beuchot, t. LVIII, p. 450.)

2. « Pittore e figlio della natura ». (Epist. ad Goldonium, die 24 mensis septembris 1760. Ed. Beuchot, t. LIX, p. 49.)

Mirum id sane ac rarum, et in litterariis fastis notandum est Goldonium, plus quam sexaginta annos natum, fabulam gallicos actores docuisse, cujus saltem titulus superstes fuerit, subtilem et ad id temporis ignotum indolis colorem significans. Natu etiam grandior, quæ sibi vitam agenti evenerant memoravit, externo utens sermone. Magnum præterea decus meruit, ausus in locum antiquæ, ex improviso recitatæ, comœdiæ novas substituere fabulas, quæ Gallorum opera imitabantur, quanquam valde repugnabant grammatici et histriones, quibus magis placebat a prioribus traditus mos comœdiæ *dell' arte*.

Etsi fuit Goldonii fama celeberrima, tamen hujus operum memoria fere amissa est; cujus rei partim tribuenda causa temporum necessitatibus atque artis comicæ conditionibus, sæculo quo scriptor vivebat, partim nimiæ celeritati, qua semel XVI fabulas novas uno anno edidit, nec quantum valeret, otio deficiente, ostendere potuit. Caducos ac fugaces successus hac insolita facilitate obtinuit, qui postera die evanuerunt. Usque etiam ad ætatem nostram exspectanda illi fuerunt monumenta, quæ nunc Florentiæ et in veneto quodam foro exstructa sunt [1]. Ibi effigiem cernere est baculo innixi senis, placida et subridenti facie, sine intermissione incedentem cernentis populum, quem dilexit ac persæpe in fabulis laudibus extulit. Tardum scilicet hunc honorem ut consequeretur, necesse fuit Italiam in unam civitatem convenisse et omnes perquisivisse viros qui, præteritis temporibus, sibi aliquid decoris addiderint, debita simul et antiquorum et recentiorum solventem.

Licet autem Goldonii nomen iterum populare hodie sit, ejus fabulæ non idcirco frequentius in italicis, etiam venetis, scænis recitantur [2]. Colitur inerti quadam pietate, sacerdotibus ac sacris

1. Statua, quæ Florentiæ surgit, anno p. Chr. 1873, et quæ Venetiis, anno 1880 exstructa est.

2. Exceptis tamen popularibus fabulis, quæ nonnunquam frequenti consessu adhuc aguntur.

carente, et, cum reverenter salutatus est, ad gallicas fabulas visendas, vel germanicos cantus audiendos, turba sæpius decurrit.

Cui parco cultui atque oblivioni quæ sint causæ, mihi requirere in animo est. Me probaturum confido nimium severe alios, alios nimium indulgenter judicavisse, ac temporum momentis utrosque plus æquo cessisse.

I

QUALIS FUERIT GOLDONIUS

Si unquam confirmatæ sunt novæ opiniones de vi qua valeant loci, tempora, genus ad informandum scribentis ingenium, exemplum præstantissimum certe Goldonius præbuit. Ineunte decimo octavo p. Chr. sæculo nascitur (1707), quo illius patria, Venetorum civitas, liberum statum amisit. Cui maris imperium Britanni, orientales provincias Turcæ, in Italia principatum Gallia et Austria cum abstulissent, Venetorum urbs, molliter procumbens in Adriatico freto, obdormivit. Cum fato pugnare desinens, laudis antiquæ immemor, otio tunc omnino dedita est et voluptati.

Sed haud scio an urbs ulla magis penitus vitæ dulcedinem cognoverit, ac sensuum languorem, ut pæne cogitatio interiret, cymbæ similis, quæ illius lacuum tacito flexu invehitur. Intra ædes, quas temporum injuriæ indefensas relinquere incipiunt, vivunt etiam tum filii eorum, qui quondam civitati præfuerunt: publicæ rei incuriosi, quibus jam vivere, non agere, satis est, hi, majorum hereditate renuntiata, molliorem tantum ac commodiorem vitam sibi parare quærunt; pictis tabulis, quæ veneti cæli argenteum atque adriaticis undis liquefactum nitorem reddunt, circumdati, vitreorum ornatuum vario colore delectati, diem luxuria agunt noctemque dant aleis, dum nummi, incerto domino, de uno ad alium semper devolvuntur. Venetæ meretrices pulcherrimæ et ornatissimæ, ac vitiis indulgentissimæ peregrinis, ut

civibus, valde placent[1]. Hic frequentiores qui fortunam aucupantur, nec prodere vel fallere metuunt; quibus sunt nervi et animi robur, paulatim illi languescunt et desidia franguntur; at contra qui, ut Goldonius, parvuli cum nautarum liberis luserunt, qui ab ubere didicerunt, balbo etiam ore, hanc tentare maternam dialectum, effetam et fere puerilem, hi Venetiis amœnissimam sedem inveniunt, e qua inviti tantum avelli possint.

Non pura tamen nostro veneta origo. Paterna stirps, Mutina orta, Venetias devenerat, quarum mox adoptiva mores mentemque recepit; avus, voluptati deditus, nimia periit luxuria, dum poetæ pater rem suam confecit epulis, scænicis ludis, villis apud Brentam emptis, ubi autumno tempore Veneti luxu, vestibus, conviviis inter se contendebant, quas effrenas profusiones ipse Goldonius nonnullis fabulis depinxit[2]. Labore vitam comparare coactus, pater medicinam aggreditur, satis temere, ut videtur, nec longis studiis paratus. Itaque ægrotantes potius sequitur quam recipit, sede frequenter mutata; piscatores etiam aliquando, non multa mercede, curat, quorum mores insciorum jam observat filius adulescens, in *Disputationibus chiozzotis*[3] eos depicturus.

Dum sic errantem vitam cum patre Goldonius agit, primis litterarum elementis sine ordine studet Perusiæ, Arimini, Ticini, ubi papæ sumptibus educatur. Sed, et clerica veste, comœdias recitat, satiricos versus componit, T. Maccium legit, Terentium et Aristophanem, necnon Macchiavellii *Mandragoram* in libro a presbytero quodam commodato, qui fabulam e collegæ bibliotheca clam ceperat, quantum in ea veneni inesset non quidem suspicans. Scholæ autem disciplinam tædio ferens Goldonius, una cum quodam scænicorum grege, navem conscendit et Arimino patriam petit; quo brevius iter videretur, amatoriis nugis cum

1. Vid. de Brosses : *Lettres sur l'Italie.*
2. *La villegiatura, Il prodigo,* etc.
3. *Le baruffe chiozzote.*

DE GOLDONIO

ITALICÆ SCÆNÆ CORRECTORE

maternæ urbis et amabile ingenium, et facetam benevolamque indolem, et faciles mores, et voluptatis studium habet, quod omne uno venetæ dialecti verbo : « morbinoso » exprimit, nullam in aliam linguam translationem ferente. Inquietæ igitur mentis tumultu non agitatur; publicos rerum scænicarum censores non timet, quorum immo munus laudat. Animos enim conciliare natura amat, Venetiasque cum Turcarum principe connubio jungere tentavisset, nisi plenum jam fuisset hujus gynæceum. Etsi fidus christianus fuit ecclesiæque disciplinæ stricte obsecutus est, cum philosophis concorditer vixit Voltariumque mortuum laudibus extulit. Histrioniæ ipsius artis veteres cum ecclesia inimicitias componere vellet, quod quidem facilius fortasse in Italia fuisset, ubi mutuis concessionibus plurima alibi inextricabilia interdum resolvuntur. Imum si virum perscrutatus eris, meliorem hunc multis aliis invenies, ac præsertim assiduo labore mirum; deest autem nervus et certa vivaque fides tardo natura potius atque inerti. Narrat enim Goldonius se olim incepisse quoddam venetæ dialecti Λεξικόν, quod sæpe relictum, sæpe resumpserat et, declinante vita, fugientem somnum insequens, opus iterum aggrediebatur, hoc remedio, ut ait, contentissimus.

Molli in hoc animo unus affectus valet, scilicet artis amor, atque Italiæ novum emendatumque theatrum dandi cupido, quæ, etiam adulescentulo nostro homine, jam fervet. Ut plurimi, primum grandiloquis tragœdiis [1] incipit; mox se non ad tanta vocatum comperit, quibus non satis purus sermo suppeditat, nec sufficiens tuscæ linguæ usus. Potius quid sit ridiculi quam tragici in rebus humanis videt; tunc Melpomenæ valedicens, jocosam Thaliam præfert. Jam populares fabulas delineavit, in quibus a nostro prædilecta persona, venetus nauta, primum introducitur [2].

1. *Belisario* (1733), *Griselda* (1735), *Rosmonda* (1735), *Rinaldo di Montalbano* (1736), *Enrico re di Sicilia* (1737).

2. *Il gondoliere veneziano* o *Gli sdegni amorosi* (1733).

Adde flebiles comœdias [1] aliasque quarum actio tantum, non verba, scribitur [2], aut cantibus ornatas [3], aut versibus compositas [4].

Quas inter fabulas et eas, quas priores ediderant, non multum interest. Primum tamen correctionis rudimentum in *Domino Joanne* [5] cernere est. Via sane non adhuc bene firmata, nam paulatim tantum ac timido gradu poeta incedit, et multa, quæ obstant, ei superanda sunt; sed jam ingenium studio performatum, quo tendat, clarius perspicit, nec, quantum vitæ supererit, desinet Goldonius inceptum persequi.

Qualis sit vir jam noscentes ejus opera perscrutari debemus.

---

1. Exempli gratia: *Il buon padre,* alias *Il buon vecchio* (1730).
2. *Le trentadue disgrazie di Arlecchino* (1739).
3. *Amalassunta* (1732), *Lucrezia romana* (1737), *Germondo* (1739).
4. *La pupilla* (1734).
5. *Don Giovanni Tenorio* o *Il dissoluto* (1736).

II

DE ITALICO THEATRO ANTE GOLDONIUM

Apud Græcos fere solos theatrum videmus indigenam, ad gentis effigiem formatum, ad quam pertinebat, solo ipso innatum, paulatim crescens ac tandem, mire congruentium secundarum rerum concursu, summam assequens pulchritudinem. Hac quidem perfectione delectantur ceteri populi, ut eam primum novisse incipiunt, aut saltem eorum quisque litteratissimus. Theatrum igitur græcum imitati sunt Romani, ac postea recentiores populi; nec etiam britannica aut hispanica scæna, etsi propria nota signatæ, hunc impulsum omnino effugere valuerunt. Sed paucissimis tantum, Græcia excepta, placuit hæc exquisita animi oblectatio; Romæ vulgus pugiles aut funambulos, ac præsertim gladiatores poscebat[1] et ursum puro Terentii sermoni præferebat. Apud Gallos plebecula, quæ frequens scænicis mysteriis assederat, doctum septimi decimi sæculi theatrum deserens, ad mimicos jocos, qui in foro agebantur, concurrit.

Idem apparet apud Italos : cum, renascentibus litteris, Ariostus, Macchiavellius, Bibbienaque classicam comœdiam renovare tentant, spectacula hujusmodi apud solos principes eduntur, solennibusque diebus, cum aut regale connubium celebratur, aut feritur fœdus, aut rex hospes recipitur. Tunc quidem omnia con-

---

1. Ter. *Hecyræ* prolog. Vide etiam Hor. Epist. II, 1.

veniunt quæ delicatos possint allicere : vestes magnificæ, scæna summis a pictoribus instructa, dulcissimique cantus, qui jam nuntiare videntur quod posteri « opéra » nominavere. Plebs autem abest, nec locum obtinet in his *eruditis* comœdiis, quibus intelligendis rudior etiam tum erat.

Altero contra spectaculi genere, summa ab antiquitate, nunquam oblectari plebs desiverat. Atellanas[1] mimorumque jocos etiam reperias, antequam Romæ historia certior fiat. Campania atque Etruria ortæ, hæ fabulæ a personis agebantur, quæ usque ad id temporis permanserunt. Facile in quibusdam Magnæ Græciæ vasis hodie agnoveris quem « Arlecchino »[2] vocant, arta veste variis coloribus distincta, aut ventriosum, obunco naso, Pulcinellam, cui apud Oscos Maccus nomen erat, ut nonnulli credunt[3]. Cum in suo Oratore M. Tullius elegantis jocandi generis exemplum afferre cupit, vitandam Sannionis scurrilitatem monet, in

---

1. Vide de Atellanis fabulis : *Des Atellanes,* Essai sur le théâtre latin, par Maurice Meyer. Lutetiæ, 1842.

2. Multum de hujus vocis etymologia dissertum est, quam nonnulli, satis temere, existimati sunt a gallico præside « Harlay » quinto, qui « Zanni » quemdam tuitus fuerit, originem habere, alii a Carolo Quinto, Germaniæ imperatore, aut a verbis : *Arlotto e cocchino — arl e cocchino — arl e chino.*

Melius quidem judicasse nobis videtur F. Diez (*Etymologisches Wœrterbuch der romanischen Sprachen*), cum antiquissimam hujus vocis formam apparuisse putat in vetere gallico carmine :

A sa siele et à ses Lorains
Oc cinc cent cloketes au mains,
Ki demenoient tel tintin
Con li maisnie hierlekin,

Ren. IV, 146.

Ex hoc verbo venisset gallica vox « arlequin », hispanica « arlequin » aut « arnequin », italica « arlecchino ».

3. Pulcinella » origine neapolitanus esse videtur et, si non antiquus Maccus, ob nasum obuncum *Pullus gallinaceus* vocatus (unde Pulicenus, Pulcino, Pulicinella, Pulcinella), saltem in Campania natus et forte, pago Acerra ortus, *Puccio Aniello* appellatus, aut ab actore quodam, cui *Paolo Cinella* nomen, sic designatus.

quo omne ridiculum, « os, vultus, imitandi mores, vox, denique ipsum corpus [1] ». Scimus ab Eustathio, qui duodecimo post Christum sæculo florebat, ejus ætate Ζάνους vocatos fuisse histriones, in quibus facile agnoscas Italorum « Zanni », duorum servorum nomen, qui postea « Arlecchino » et « Brighella » appellati sunt. « Sanniones », ait Nonius Marcellus, « dicuntur a Sannis [2], qui sunt in dictis fatui. » Fuligine faciem obducti erant, ut personati italicæ comœdiæ histriones, mimum agebant rasis capitibus [3], et planis pedibus proscænium introibant; itaque planipedes [4] vocabantur. Quibus propriam vestem tribuit L. Apuleius centunculum [5], id est plurimis particulis compositam.

Paucissima autem fabularum ex improviso recitatarum necesse est relicta sint vestigia; qua ratione his alludunt tantum qui doctiora scripserunt, sed quo rariora testimonia, eo majoris sunt ponderis atque auctoritatis. Cum sexto decimo post Christum sæculo, rediviva classica comœdia renovata est, turba nihilominus ad populares jocos decurrere perstitit, et doctarum fabularum spectatores, plebem deridentes, huic minori generi « *commedia dell' arte* » nomen tribuerunt. In quo, animi impetui actor magis

1. De Orat. Lib. II, cap. 61 : « Quid enim potest esse tam ridiculum quam Sannio est ? Sed ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique ipso corpore ridetur. Salsum hunc possum dicere atque ita, non ut ejusmodi oratorem esse velim, sed ut mimum. »

2. Nonnulli tamen volunt nomen « Zanni » a verbo italico « zanne » originem ducere, quod « dentes » significat, quia figuris « Zanni » exprimentibus dentes erant. (*Carlo Goldoni*, a Ferdinando Galanti. Patavii, 1882). Vide etiam *Molière et la comédie italienne*, a Louis Moland. Lutetiæ, 1867.

3. G. J. Vossius, *Poeticarum institutionum libri III*. Lib. II. Cap. 29 sqq.

4. Planipes græce dicitur Mimus, ideo autem latine « planipes », quod actores planis pedibus, id est nudis, proscænium introirent (Diomedes, III, 490. Keil, *De grammaticis latinis*. Lipsiæ, 1857).

5. « Quid enim si choragium thymelicum possiderem ? num ex eo argumentare etiam uti me consuesse tragœdi syrmate, histrionis crocota, mimi *centunculo* ? » (*Apologia seu Oratio de magia.*)

indulgebat, illiusque nimium protervi sales militum tirunculorumque cachinnos movebant, nec, sine dubio, urbaniores erant ejusmodi facetiæ quam impudentis Turcarum « Karagueuz », aut Tabarini nostratis. Dissolutum tamen fabulæ contextum ac frequentem verborum insulsitatem meliores interdum judices, actionis gratia, prætermittebant, namque illi ferventis terræ filii miram gestuum alacritatem in mimo agendo habebant [1].

Qua præcipue virtute valuerunt italici histriones apud peregrinas gentes, quarum plerique spectatores agentium sermonem minus intelligebant. Sed quomodo resisteres contra tam varios oris contractus, tam subitas vultus mutationes, tam concordes variorum actorum motus? Ipse etiam, ut aiunt, infans Ludovicus decimus quartus non se continere valuit, cumque olim in cunabulis ploraret, cujusdam celeberrimi histrionis italici [2], qui, venia a regina matre data, ipsum sinu complexus erat, visis motibus oris ridiculis, primum regulus tacuit et mox in cachinnos effusus est.

Comœdiam *dell' arte* agentibus ex improviso loqui præsertim solitum erat, poeta rei gerendæ contextum tantum et quasi lineamenta docente. Fabula plerumque tribus divisa erat actibus ac, cum personas sibi ipsis tradere, demissis habenis, auctor intendebat, his verbis utebatur : « Scena come va » [3]. Postscænii postibus affigebantur duo fabulæ exemplaria, quorum unum aut alterum,

---

1. Vid. de italicis actoribus : Saint-Évremond, *De la comédie italienne* (1677); Grimm, *Corresp. génér.* (1764), Ed. Tourneux, V, p. 432 ; Bachaumont, *Mém. secrets,* passim, ac præsertim quid de Collalto dixerit Goldonius (*Mémoires,* II, 113).

2. Scaramouche. « Il s'oublia même dans ses langes et prouva ainsi à Scaramouche qu'il avait ri jusqu'aux larmes. » (Em. Campardon, *Les comédiens du roi de la troupe italienne.* Paris, 1880.)

3. Ipsæ cantibus ornatæ fabulæ, quæ « opéras » vocantur, ex improviso etiam agebantur. Primus scripsit Rossini musicæ suæ ornamenta, quæ, propter hanc causam, nimium redundantia interdum videntur, quanquam prioribus incognita moderatione usus est. (Stendhal, *Vie de Rossini,* cap. XXXII.)

antequam pulpitum introiret, respiciebat actor et, cum vocabatur, solus aut cum aliis extemporalia proferebat indiciis, quæ statim legerat. Necesse erat ut sic permulta dissoluta fractaque expromerentur, fabulaque tantum valebat quantum qui agebant; cum male illi se haberent, aut forte impetu carerent, optima videbantur insulsa aut ridicula. Contra autem quis neget hoc spectaculi genus proprium leporem habuisse et doctiori comœdiæ ignotum? Quod subito menti suppeditat melius atque lætius exprimitur quam quæ memoriæ tradita sunt.

Naturam igitur potissime sequebantur actores. Adde quod iterum recitata, iterum pro nova audientibus fabula erat. Quæ fuerint res ita actæ nobis fingere licet improvisis facetiis, quas nonnunquam, in minoribus scænis, his inserunt, quæ didicerunt, nostri actores, cum centies et sæpius eadem repetere coguntur. E proprio fonte sic addita non semper emunctæ naris homines delectant, tædium saltem agentibus vitant. Ut vero deficienti ingenio succurrerent qui ex improviso loquebantur, « communibus locis »[1] et pernotis jam facetiis[2] utebantur. Horum primi haud multum aberant, salva generum differentia, ab illis locis, quos instituendis oratoribus antiqui rhetores commendabant; declamationes erant, plerumque ab actore, cum solus in scæna relinqueretur, recitatæ et ad generalia pertinentes, quæ ad diversas actiones æque conveniebant, ut preces, objurgationes, minæ, aut invidiæ, iræ dolorisque exclamationes. Sic Molierus noster in Μισανθρώπῳ fragmentum e T. Lucretii quadam translatione inseruit, ubi de amantium amentia agitur, qui dominam suam omnibus ornant illecebris eique ipsa vitia laudi vertere solent[3].

---

1. *Luoghi topici* aut scenico sermone : *Pistoletti*.

2. *Lazzi*.

3. In suis de vita Commentariis (*Mémoires*, t. I, p. 335) Goldonius summis effert laudibus celeberrimum « Arlecchino », cui nomen Antonio Sacchi erat, et qui, octavo decimo sæculo, variis ac locupletibus locis eminuit : « Quos, ait noster, non e populari sermone usurpabat, comicos vero scrip-

Loci quidam erant unicuique personæ, nimium autem communes et male interdum rei actæ adaptati. Præterea, cum memoriæ commissi essent, nonnunquam agnoscebantur, dum recitati, assiduique spectatores eos velut familiares revisendo salutabant. Ita, qui proprius esset lepos, omittebat extemporalis comœdia, nedum naturæ motus ingenue et sponte redderet. *Lazzi* vero facetiæ erant a prioribus traditæ et quæ variarum personarum indoli congruebant, nec multum aberant ab his quæ actor, cui « Gracioso » nomen, in hispanica scæna profert.

Etsi his freta auxiliis, extemporalis comœdia in arto quodam circulo moveri cogebatur, nam quæ indolem demonstrant ex improviso edere non licet; idcirco personarum indoles fixa[1], ut ita dicam, rerum gestarum pars inveniebatur. Communia tantum et vitæ variæ conditiones expromebantur; ut Terentianæ vel Plautinæ fabulæ patres morigeros aut nimium severos, prodigos ac dissolutos filios, procaces vernas, gulosos parasitos, ceteris fere exclusis, protrahunt, sic iisdem semper personis utebatur comœdia dicta *dell' arte,* quarum pernota indoles et sibi semper constans erat[2].

---

tores, poetas, oratores, philosophos etiam perlegerat, agnosceresque in illius extemporalibus dictis quæ L. Annæus, M. Tullius, Montaniusque scripserunt. Ea autem insulsi hominis inscientisque personæ sic accommodabat ut, quæ in serio scriptore miraris, ab isto actore mutata risum moverent. »

Ejusmodi autem mimi rari erant; plerique enim, doctrina carentes, non amplius poterant quam quod natura effecerat; sic vir, ut ille Sacchi, non recitator, verum operæ ipsius erat socius. Itaque fatetur Goldonius hunc actorem plus apud spectatores gratia valuisse quam qui fabulam eum docuerat, ejusque unice videndi curiosam fuisse plebem.

1. Hujus comœdiæ personas latrunculorum ludi vitreis militibus comparat germanicus grammaticus Schlegel, qui infinitis modis in tabula bellum peragunt (*Vorlesungen über dramatische Kunst und Literatur,* IX.).

2. In sua *Italicarum litterarum historia* (cap. X, p. 117) immutabilium personarum originem Sismondi scænicorum gregum parcis ducibus tribuit, qui, ut cottidie novam fabulam minore sumptu ederent, operam dabant ne sæpius vestes ceterique ornatus mutarentur. Hæc opinio sane non communis est, si alio merito caret.

Satis multæ tamen erant italicarum fabularum personæ, quanquam Goldonius quattuor tantum in Commentariis[1] enumerat : Pantalonem, venetum mercatorem, Doctorem, bononiensem jurisperitum, ambosque Bergomates servos, Arlecchinum et Brighellam. Sed et nonnullas alias reperias : « Spavento », neapolitanum gloriosum militem, « Giangurgulo » et « Coviello », calabros rusticos, Pulcinellam, Apuliæ mimum, « Gelsomino », ventosum adulescentem romanum, « Beltrame », stolidum mediolanensem, « Scaramuccia » et « Tartaglia », ambos neapolitanos, « Meo Patacca », transtiberinum romanum, « Pasquariello », saltatorem, « Sandron », mutinensem rusticum, « Gianduja » aut « Girolamo », Asta ortum, « Meneghino », mediolanensem, « Stenterello » tuscum, ceterosque hujus modi. Servis etiam alia nomina erant præter Arlecchinum et Brighellam, ut « Traganino », « Gradelino », « Mezzetino », plerumque autem a Bergomo originem trahentibus, nonnunquam etiam a Bononia, velut « Scapino », atque insulsis aut nebulonibus.

Horum quisque, ut videre licet, quamdam urbem, aut saltem provinciam significans[2], hujus dialecto utebatur[3]. His quidem provincialibus linguis uti Itali communiter solebant, nec una ante alias, ut in Gallia, eminuerat civitas, ceteris subactis et proprio sermone cum libertate amisso. Sic provinciarum ridicula his addebantur, quæ diversis ætatibus conditionibusque risum movent. Plurimum enim provincialis vita in Italia semper valuit, ubi ante hos proximos annos peregrinus habebatur qui non ex

1. *Mémoires,* t. II, p. 193.

2. Leporis cauda, quæ Arlecchini petasum ornat, Goldonii etiam ætate utebantur Bergomates rustici. Primum Ruzzante ferunt in scænam varias produxisse dialectos et, si Riccoboni credas (*Hist. du Théâtre italien*), hujus usus origo ducenda est a T. Maccii *Pænulo,* in quo (Act. V, sc. 1) grammaticis tormenta parans Hanno punice loquitur. Equidem opinor longius ita quæri simplicis cujusdam rei causam ac nullomodo mirandam.

3. Vide de italicis dialectis L Settembrini : *Lezioni di Letteratura italiana,* t. I, p. 25 sqq.

ipsa urbe oriundus erat, Romanumque Tusci hospitem, Venetum Neapolitani, Ligurem Calabri pro novis moribus deridebant.

Larva totum actoris vultum, aut dimidiam saltem oris partem, operiebat, more antiquissimo, ac spectatoribus hoc modo facile agnoscere licebat quas esset partes defensurus. Eadem autem causa fiebat ut facultas pernoscendi ex oculis, fronte, vultus motibus mores naturasque hominum tolleretur. Itaque sine larva feminæ plerumque agebant, ne obnuptæ venustatis desiderium relinquerent. Præterea, hunc sexum nihil decet ridiculi, præsertim cum ad extrema res ducitur, quod plerumque in « commedia dell' arte » fiebat. Quo explicatur quam raræ sint femineæ « maschere »[1]; in goldonianis etiam fabulis paucissimas feminarum partes invenias, scilicet : virginem, festivam mulierem, matrem aut nutricem, quibus carere res agenda omnino non potest.

Exponere tentavi quibus viguerit conditionibus hæc « commedia dell' arte », cui prope ad finem octavi decimi post Chr. sæculi Itali tantopere faverunt; hac quidem ætate labi visa est, ut mox prorsus aboleretur. L. Carrer, qui Goldonii vitam anno 1825 scripsit[2], id fabularum genus suo tempore penitus obsoletum esse refert, quanquam nonnulli ex æqualibus suis easdem spectavisse meminerint[3]. Hac fere tempestate, eamdem oblivionem conqueritur Stendhalus, qui, cum Venetiis hospes versaretur, « *Zaïram* » in italicum sermonem translatam, aut Goldonii « *Zelotypas feminas* » omittebat, ut in Sancti Marci forum, ante Pulcinellæ theatrum, paululum risurus, deveniret[4]. Letiferum

1. Italicum verbum « maschera » plerumque actorem significat, ut latine *persona*, græce πρόσωπον.

2. *Vita di Goldoni*. Venetiis, 1825.

3. *Ibid.*, t. III, p. 29.

4. « C'est », addit idem scriptor, « ce qui m'a fait le plus de plaisir en fait de théâtres non chantants.... Polichinelle et Pantalon sont indigènes en Italie et, dans tous les genres, on a beau faire, on n'est grand, si l'on est grand, qu'en restant soi-même. » (*Vie de Métastase.*)

ictum Goldonius comœdiæ « dell' arte » generi intulit; illius autem propriam agendi rationem sibi vindicavit, moribusque servatis, qui a prioribus traditi erant, scripsit tantum quæ antea actores ex tempore recitabant.

Cum nunc hoc fabularum genus notum sit, ostendere restat quomodo et quatenus correctum emendatumque idem a nostro scriptore fuerit.

III

QUID CORRIGENDO THEATRO, QUANTUM AD *LITTERAS* PERTINEAT, GOLDONIUS EFFECERIT

Ubicumque in Italia decimo octavo sæculo ad novas res animi tendebant, nam incipit ea ætate id temporis spatium quod ultramuntani scriptores « risorgimento » vocant. Tertium jam sæculum externis dominis subditi, perdiderant cives antiquas illas virtutes, quibus medio ævo italicæ respublicæ tantum viguerant; his vero miseris temporibus unum fuit studium, principis odium vitare, et dum neque publicis, neque sacris rebus, neque philosophiæ operam dares, cetera libera civitas erat, ac præsertim, quantum ad mores pertinebat, summa concedebatur licentia. Inde hic peculiaris vivendi modus, quem mirantur peregrini; hæc in litteris concinnitatis consectatio putidaque verba; hic tandem summus antiquarum rerum investigationi favor, qui regentibus nullam sollicitudinem afferebat.

Paulatim autem illam inertem molem gallica mens agitare cœpit ac, nostratum philosophorum impulsu, secum cogitare Itali iterum tentaverunt. Qui ipsi publicis rebus præerant, humaniorum doctiorumque famam consequi cupientes, ad Voltarii opiniones inclinabant, qui, ut apparet, potentibus non multum repugnabat. Ea quidem conditione ut externa dominatio, recentibus condita fœderibus, æquo animo acciperetur, Italis licebat et de republica disserere [1].

---

1. Vide quid Vico de *Scientia nova* (1725), Beccaria de *Delictis ac pœnis* (1764), Galiani de *Re frumentaria* (1770) scripserint.

Litteris minus etiam suspectis quam de republica administranda disputationes aut philosophia, Muratorio, Tiraboschio, Quadrio de rebus litterariis scribendi plane concessa fuit facultas. Anno 1714, Scipio Maffæius *Meropen* edidit, in qua tragœdia amor locum ullum non obtinebat, eo ipso tempore quo hic affectus sexti decimi sæculi insulsitate ac pastoralibus fatuis carminibus usque ad summam ineptiam declinaverat. Victorem Alfierium, a quo in exemplum assumptus est, præcessit Maffæius; Apostolus Zeno ac Metastasius carmina cantibus ornanda, quibus nomen « opéras », satiram Parinius, Castius fabulam simul emendaverunt. Sic flabat aura quædam, qua in cunctis humanæ doctrinæ provinciis omnia renovabantur, haud secus ac divinus super undas spiritus, Italiaque a chao emergere parabat, ubi primum novæ res, fulmineo quodam ictu, in Gallia signum dedissent. Hunc vero effugere impulsum comœdia nequibat, quæ a duobus renovata viris est, Venetis ambobus, Goldonio et Carolo Gozzio. Posterior, tantum occasione data, poeta fuit Goldoniique æmulus, cujus æmulationis causa novas fabulas mira imaginandi vi composuit; in alio autem loco res illa agetur.

Non tam divite vena Goldonius; fidelius autem naturam verumque consecutus, de italica scæna melius meritus est, quam a mimorum scurrilitate liberare statuit, ut patriæ exactam correctamque comœdiam daret. Uberiorem successum obtinuisset, si melius tempora favissent; sed re, nomine, patronisque carens, victum cottidie quærere, actoribus scænicorumque gregum ducibus blandiri, vivendi causa, coactus, plebi denique indulgere, cujus in theatro frequentia loculos complebat, voti compos non omnino fuit. Multum tamen et non spernendum mihi quidem videtur illud opus eum aggressum esse, ac, quanquam non ex sententia tota successit, plus quam mentionem de illo fieri in italicarum litterarum historia æquum est : spatio fuit ampliore dignus.

§ I.

Non subito ac funditus quæ antea exstiterant evertere, sed singula paulatim corrigere conatus est. Non etiam primo intuitu, et quam longum iter faciendum esset, et quæ incepta sequerentur, circumspexit. Vitia extemporalis comœdiæ oderat, scilicet nimium implicitæ fabulæ consuetudinem, unam eamdemque argumentorum abjectorum rationem, immutabiles paucissimasque personas, actoribus qui fabulam docuerat inservientem, naturam minus quam pacta conventa, ut ita dicam, valentem, uniuscujusque tandem libidine confusum rei gerendæ ordinem.

Quæ simul corrigenda non primum curat Goldonius; itaque, quod, ut opinor, præcipue notandum est, ejus primæ fabulæ, vel emendatæ, re vera non novi generis, sed potius comœdiæ « dell' arte » superstites inveniuntur, a principio partim[1], mox totæ scriptæ. Prima hujus correctio suppressis sermonibus locisque ex tempore recitatis constat; cetera autem emendatio in hoc latebat, reliquum paulatim allatura.

Interea tamen novæ fabulæ multa antiquæ consuetudinis servant vestigia, ac primum actuum scænarumque partitionem. Si quæ versibus composita sunt excipias, pleræque goldonianæ comœdiæ tribus actibus dividuntur. In his etiam locorum communium indicia reperies[2]; eædem servantur extemporalis comœdiæ personæ, quibus una aut altera additur, secundas autem partes servans, salvaque priorum indole. Prioris etiam generis

1. Necdum in *L'uomo di mondo* (1738) dialogus scriptus erat, nisi quod ad præcipui actoris partes attinebat. Vid. *Mémoires*, t. I, p. 327; vide etiam *Il servitore di due padroni* (1749), comœdiam *a soggetto*, cujus tres aut quattuor cujusque actus scænas poeta tantum scripserat, et quæ postea tota scripta est.

2. Vid. *La banca rotta* (1740), act. I, sc. 2. Diversas artes quæstusque modos enumerat Brighella, quibus proxeneticum præfert Truffaldinus, uniuscujusque priorum artium vitia denuntians.

fabulas, quod ad emendatæ comœdiæ contextum attinet, noster retractat, ut videre est in *Ambobus gemellis venetis* [1], quæ fabula T. Maccii et Regnardi *Menechmos* imitatur, permultis autem mixtis vultus motibus ac vestis habitusque mutationibus, ut actori quondam celeberrimo, Darbes nomine, occasio daretur amborum fratrum partes vicissim agendi, unius stolidi, alterius ingenio prompto et alacri. Sic, quanquam in locum extemporalis comœdiæ alteram restituere tentabat Goldonius, veteres tamen jocos non omnino omittebat : quod facile perspicies non tantum in transitoriis, ut ita dicam, fabulis, verum etiam et in his quas maxima cura elaboraverit [2].

Etsi moderata et, bonorum judicum sententia, timidior Goldonii emendatio adhuc erat, vehementer intercessere ab omni parte adversarii. Deplorabant actores, qui larva agere solebant, se a Goldonio neglectos ac pæne perditos, et ad amicos patronosque provocabant [3]. Novum odiosumque timebant memoriæ laborem, atque antiquam artis suæ libertatem lugebant. Qui amantium partes agebant (nam seria plerumque his recitanda), melius se novis rebus accommodabant quam comici, « sine studio enitendi cupidi [4] », quosque tædebat amissa solita argumenta speciose variandi facultas. Itaque his parcendi causa, iterum ad derelictum genus reversus est Goldonius, eidemque ludo, in quo *Prodigi* indolem explicare tentaverat *Duos et triginta Arlecchini casus* [5]

---

1. *I due gemelli veneziani.*

2. Vid. quid Grimm de *Moroso benefico* (Le Bourru bienfaisant) dicat : « On remarque dans cet ouvrage l'homme *plus habitué à faire des canevas* qu'à détailler des pièces. » (*Correspondance,* die 15 mensis novembris 1771). Iisdem fere utitur verbis Bachaumont (*Mémoires secrets,* die 5 mensis nov. 1771) : « C'est une pièce dans le goût de celles qui composent son théâtre, plutôt un canevas qu'un ouvrage fini, et dont les situations ne sont qu'indiquées. »

3. *Mémoires,* t. I, p. 334.

4. *Ibid.,* t. III, p. 17.

5. *Le trentadue disgrazie di Arlecchino.*

addidit, qua in fabula plurimum spectatoribus Sacchius actor placebat[1].

Interdum res male cedebat ob recitantium imperitiam, nondum novæ rationis satis compotum[2], præsertim cum aliquæ tantum partes scriptæ essent, reliquis ex improviso actis. « Sed, ut ait noster, non omnia simul corrigere volebam, ne indigenarum fabularum fautores offenderentur, occasionemque expectabam, qua eos adversos invaderem majore vi ac securitate[3]. »

Spectatoribus enim non minus quam agentibus novitati assuescere opus erat. In *Rinaldo Montalbano*[4], cujus argumentum e medii ævi chronicis usurpatum erat, solebat antea heros in ducum concilium veteri centone convenire, castellumque domini, olla torquenda figlinorumque fragmentis defendere Arlecchinus[5]. Idem, in *Lapideo conviva* naufragium inflatis utribus effugiebat, dum « Dominus Joannes » siccissimus comptaque coma e mari emergebat[6]. Rebus feliciter mutatis plaudebant, non tamen sine quadam admiratione.

Itaque nullam omittebat scriptor correctionum causas atque argumenta exponendi et adversariorum deridendorum occasionem. In *Moliero*, in *Terentio*, ut alias negligam fabulas, amborum illorum poetarum persona utens proprias sententias defendit et suam causam ipse verbis minime ambiguis agit. Tota immo fabula, cui *Theatrum comicum*[7] titulus, ad idem consilii adhibetur, eamque Goldonius minus, comœdia quæ vocetur, dignam, quam omnium suarum comœdiarum procemium esse censet.

1. *Mémoires*, t. I, p. 334.
2. *Ibid.*, t. II, p. 141.
3. *Ibid.*, t. I, p. 327.
4. *Rinaldo di Montalbano.*
5. *Mémoires*, t. I, p. 322.
6. *Ibid.*, t. I, p. 312.
7. *Il teatro comico* (1750).

Hic, dramatico argumento, quid sua sententia comicum theatrum esse debeat, exponit, ac singulas indicat emendationes quas produxerat. Operæ pretium est talem confessionem aliquantum curare.

Fabula fere nulla est, ut in quibusdam ejusdem generis comœdiis[1], resque in ipso theatro agitur, dum docentur actores. Horum princeps, Horatius nomine, dux gregis scænici simul atque amatoriorum juvenum partes plerumque defendens, poetæ vice loquitur, qui non apparet, quanquam de eo sine intermissione agitur. Femina, quæ puellarum personas in fabulis tuetur, Placida, novis rebus aperte studet :

— « Tædet, ait[2], eadem millies videre et audire. Quæ locuturus sit Arlecchinus novere auditores prius etiam quam os aperiat. Mihi ecastor ! summopere placet alius ludendi modus, sed quantum ad extemporalia attinet, valete ! »

Contra Antoninus[3] antiquos mores desiderat. — « Nostra, hercle ! ars istis correctionibus omnino corrupta est. Heu ! me miserum ! quondam plaudebatur mimus, veteris comœdiæ disciplinam bene doctus, qui ex improviso omnia proferebat, bona vel mala, simul ac mentem invadebant. Nunc autem animum non bene compositum habemus, cum necesse sit memoriter multa pronuntiare, verendumque ne prior fama pereat. »

Frustra eumdem monet Horatius illi antea populum nunquam tantum favisse quantum nunc in novis fabulis, quarum primas partes Pantalo semper defendit ; nihilominus actores, memoriæ diffidentes, paulo post collationes, similitudinum ampullas, allegorias, ceteraque istiusmodi desiderant, quæ sibi tanto in soliloquiis auxilio erant. Sed, dum talibus indocta plebecula gaudet, hæc respuunt meliores judices.

---

1. Cf. *La critique de l'École des femmes, L'impromptu de Versailles,* etc.
2. Act. I, sc. 2.
3. Tonino, Pantalonis personam agens.

Alius qui, larva induta, personam agit, Anselmus, famelicum poetam Lælium apud scænici gregis ducem patronus intromittit, fabulam ex improviso recitaturum, cui permulti simul tituli : *Pantalo, morigerus pater, cum Arlecchino, servo fideli, necnon Brighella proxenetico quæstum quærente, Octavio villæ administro et Rosaura amore pereunte.*

— « Longissimum hercle ! titulum, exclamat Horatius. Bonarum comœdiarum actionem unam esse oportet et idcirco titulum fore simplicem. »

— « Sane dictum! Lælius respondet, sed quod abundat non vitiat. Meæ fabulæ tituli quinque sunt, quorum, qui maxime placet, elige, ac, tempestatibus anni[1] mutatis, titulus etiam mutabitur et fabulam habebis, quæ nova semper videbitur. »

Fabulæ alioqui, quæ scripta non est, brevissime scenæ indicantur, ut, exempli gratia : « Primo actu — Via — Pantalo doctorque amice colloquuntur — Pantalonis filiam doctor uxorem poscit. — Promittit Pantalo. — Exit doctor — Januam pulsat Pantalo et Rosauram vocat, quæ in viam descendit. » Talia nimis antiqua (*anticaglia*) vitio vertit Horatius culpamque reprehendit veniæ indignam, qua feminæ in via publica colloquuntur. « Quod multos quidem annos toleravit Italia, pudori non satis parcens, nec tamen hodie ferendum est. »

Addit argumentum caute Arlecchinum procedere et eri caput fustibus implere. — « Indignum, edepol ! exclamat Horatius. Sæpius nostros actores talibus indulsisse jocis mihi quidem dolet, qui in posterum periere. »

Causa pæne desperata, fabulam Lælius offert quam e gallico sermone vertit. Refutat Horatius :

— « Hujus gentis, ait, opera minime contemno. Sæculum fere totum in comœdia Galli summopere valuerunt, sed nunc dies venit, qua necesse est Italiam sua vice ostendere peritorum ho-

1. Ternæ erant anni scænici tempestates : hiems, ver et autumnus.

minum genus non hoc solo exstinctum, ubi primum post Græcos Romanosque ars scænica resurrexerit. Gallis hercle! personas invidere nolim apte formatas, sibique constantes, animi permotionum congruenter tractandarum artem, acutum, ingeniosum nitidumque sermonem, sed hujusce gentis populus paucis contentus est. Una enim indoles gallicæ unicuique comœdiæ sufficit; unum circa affectum, bene tractatum et tenui filo deductum, multos verborum circuitus devolvunt Galli, quorum vi fabula interdum nova videtur. Majora autem a nostratibus expetuntur: præcipuam enim indolem validam, propriam ac tamen notam volunt; omnibus, etiam adventiciis, esse indolem personis; argumentum casibus ac fortunis variis novisque abundare; facetiis ac jocis utile quicquam moribus admisceri; fabulam tandem inexspectato modo, sed qui ex actione ipsa oriatur, explicari. Tam multis rebus denique nostris hominibus opus est, ut his enumerandis non sufficiam. Tempore tantum adjuvante, usu ac consuetudine ea nosse ac perficere est. »

Tunc proponit Lælius comœdiam, quæ indolem quamdam tractat, ac, si omnia artis præcepta non secuta, quæ præcipuum saltem servat: unum esse actionis locum, ut commendaverit Aristoteles, quem alioqui nunquam legisse se fatetur. Hac occasione utens quid de philosopho græco sentiendum sit, ipsius vice loquente Horatio, Goldonius indicat: Aristotelem parum de comœdia locupletem auctorem affirmat, de qua non multa scripserit eumque addit, si hodie viveret, de loco « uno » sententiam mutaturum; innumera enim absurde, insulse aut indecenter acta ex eo processisse; si antiquis, velut recentiori ætati, facile fuisset spectaculi apparatum variare, hi certe non idem de poetica arte sensissent. Actionem unam esse eodemque tempore efferri concedit Goldonius, sed non eodem loco, quantum saltem ad comœdiam attinet, quæ eventorum frequentia constat. Nec tamen nimium crebras fore mutationes præcipit, ut apud Hispanos, quorum heroes eadem in fabula Neapoli in Tarraconensem coloniam transeunt.

Locum spectaculi in ejusdem urbis mœnibus, aut ejusdem domus muris retinet, quod non multum abest a Cornelii interpretatione, præsertim in tragœdia illa, cui *Cid* titulus est. Multa, mea quidem sententia, de hoc addere liceret, nam quantulumcumque scænæ locus mutari potest (et pluries eodem actu apud Goldonium mutatur), idem a nostra imaginandi vi petitur, cum in aliam urbis aut domus partem actio movetur, ac si in remotissimas Africæ vel Asiæ regiones transferretur.

§ 2.

Usque ad id temporis (1750) sensim ac moderate scænam corrigere Goldonius tentat. Nondum enim extemporalem comœdiam, quam, privilegio quodam, facile Italiæ ingenium extulit, abolere illi in animo est; neque ipsas larvas, neque a prioribus traditas personas omnino auferre cupit. Non adhuc cessit dies; multum nimirum jam obtinuit, nam populum assuefecit ut aliud in theatro quæreret ac meras nugas, et morum disciplinam seriaque saperet. Non ei quidem repente tollendum erat, quod longum jam tempus notum amabatur, sed antiquis utendum personis et figuris. Satis multa supererant quæ emendarentur, in primis ea quæ ad soliloquia pertinebant.

His scilicet populus, in extemporalibus comœdiis, rerum certior fiebat, quas eum nosse, incipiente fabula, necesse erat. Sed hoc parum verisimile; nonne enim secum loquitur is solus qui vehementer commovetur? Tum hunc ita spectatores docere concedo, quæ imo in pectore sentiat, quæ sit indoles, quibus agitetur affectibus, sed non admittam illum sibi ipsum amores suos aut proprios casus narrantem. Veteres quidem italici poetæ aliter etiam rem, primo congressu, exponere solebant, sive Pantalo cum doctore, sive erus quidam cum servo, aut matrona cum ancilla loquebatur. Melior autem fabulæ exponendæ ratio, et quæ

spectatoribus tædium non afferat, materie pluribus divisa scænis ac paulatim argumento admiranti spectatori explicato.

Accedunt in eadem fabula [1], de qua supra commemoravi, nonnullæ aliæ quæstiones, cum, verbi gratia, de versu comico agitur, cujus non nimium fautor fuisse videtur Goldonius, quo propius vero instaret, si ipsi credimus, sed potius, ut apparet, quia soluta oratione liberius utebatur. Quidquid id est, unam spiritus ac soni intentionem in recitando easdemque semper vocis flexiones, et jactantiores gestus vituperat; actores etiam monet rei gerendæ sine intermissione ulla intendant, nec, alio loquente, spectatores intueantur, socios observare desinentes. Tandem de carmine disserit, quod fabulam claudebat, et cui nomen « sonetto » erat. Etsi ejusmodi versiculi a proposito digrediebantur, comœdis tamen valde placebant, quod ita certissimi plausus provocabantur. Itaque noster hunc errorem vitare non semper potuit, memoratque se nonnunquam [2] hoc carmen petentibus concessisse.

Et in longe alius generis fabulis, ut in flebili comœdia, cui *Pamela* titulus, hanc disserendi materiam, sua plurimum referentem, iterum, sed non semper aptissime, Goldonius aggressus est. Nam in hac, de qua novissima mentio facta est, fabula ridiculum quemdam adulescentem « il cavaliere Ernold » introducit, qui, longa post itinera Londinum reversus, italicam comœdiam laudibus effert :

— « Utinam ! ait, nostris scænicis ludis Arlecchinum addamus, omnium in terrarum orbe facetissimum. Servus idem est stultus et callidus, cui larva ridicula, vestis centunculus, eoque statim viso, in risum diffunduntur spectatores. Verborum sensus miscet [3],

---

1. *Il teatro comico.*

2. In *La putta onorata, La buona moglie, La vedova scaltra, I due gemelli veneziani*, etc.

3. Pro « Padrone » *Poltrone* pronuntiat, pro « Dottore » *Dolore, Campanello* pro « Capello », *Lettièra* pro « Letteṙa » et sic alia hujusmodi.

de cibis vorandis constanter loquitur, cum mulieribus etiam protervus erumque pugnis contundens. Una in comœdia, ut Pantalonem deludat, in nigrum hominem, in statuam, quæ oculos fallit, in osseam larvam mutatur, ac miserum Pantalonem fustibus tandem castigat. »

Cui serio agens persona quædam[1] sic respondet : — « Nolim arbitrari et in Italia homines doctos emunctæque naris de talibus miseris ridere nugis..... Est enim quoddam nobilius comœdiæ genus, quod verborum lepore, argutis jocis, ingenii nitido impetu placet, nihilque commune habet cum isto humili obscenoque jocandi genere, a vernilitate aut stultitia orto. Nimis adhuc adulescentulus peregrinatus es, nec satis antea studuisti; sin aliter, minus tibi Italorum Arlecchinus placuisset[2] ! »

§ 3.

Ea verba sibi ipsi sumere, partim saltem, scriptori licuit; quod si enim ab Arlecchino non delectabatur, id potius naturæ quam studio tribuendum erat. Multis objecto casibus adulescenti otium defuerat quominus bonis exemplaribus formaretur, eamque lacunam si quodam modo explere in rebus concipiendis valuit, in efficiendis autem vis illi nonnunquam defecit, quantum præcipue ad stilum spectat. Non me quidem fugit quam caute tam difficilis materies a peregrino aggredienda sit, una tamen voce de hoc grammatici italici loquuntur et reum ipsum in hac lite confitentem habemus[3] :

« Ex his, ait, quæ mihi vitio vehementer vertebantur, maxima objiciebatur culpa non satis purum esse sermonem; quod non mirandum. Venetiis enim natus, cum nutricis lacte consuetudinem

1. Milord Bonfil.
2. *Pamela*, act. I, sc. 16.
3. *Mémoires*, t. II, p. 264.

suxeram jucundissimæ dialecti [1], quæ magnopere nostris auribus placet, sed quæ tusca non erat. A principiis didici sæpiusque legendo bonorum scriptorum sermonem colui; prima autem animo impressa interdum reviviscunt, quantacumque cura ea omittere conamur. In Etruria peregrinatus sum, ibique quattuor annos permansi, ut familiaris mihi illius provinciæ lingua fieret, primumque mea opera Florentiæ doctiorum hominum hujus urbis censura edenda curavi, ut omnibus vitiis, quantum saltem ad sermonem pertineret, purgarentur. Non satis tamen caveram ut severis correctoribus arma detraherem : aliquid semper me peccavisse arguebant, nec mihi originalis culpæ venia concedebatur. »

Sic divi Augusti temporibus Tito Livio patavinitatis crimen illatum est, et apud Ariostum nonnulla provinciæ, qua ortus erat, vestigia reperire pluribus visum. Quidquid in « testi di lingua » non inveniebatur, fastidiose respuebant Academici « della Crusca » ; necesse igitur erat Goldonii stilum reprehendi, in quo multum abest ut ubique tuscus sermo pure splendeat.

Quo si utendum in fabulis censet, quæ primores in scænam deducunt [2], veneta tamen dialecto [3] Goldonius sponte loquitur. Non ideo multum, quæ sibi Academici « della Crusca » objicie-

---

1. Molli etiam sermone italico mollior veneta dialectus, quæ sibilantes sonos vitat, et in loco *c* littera *z* utitur ; dentibus expressas *t* et *d*, liquidam *r* odit. Media inter duas vocales consonans supprimitur (la *coa* pro : la *coda*) ; *n* mutatur in *gn* (*gnente* pro : *niente*) ; *x* ante tertiam singularis numeri personam in verbo *essere* proponitur (*xè* pro : *è*) aliaque ejusmodi. Hic balbus ac pæne hæsitans sermo melius tenerum os pueri quam adultum maturumque patremfamilias, qualis Pantalo, qui plerumque veneta loquitur dialecto, nobis decere videtur.

2. In *La figlia obbediente* Brighella, saltatricis cujusdam pater et qui Pantaloni servierat, tusce loqui affectat, etsi Bergomo ortus, ut melius repentini hominis ditatique partes agat.

3. Quam, in *Commentariis* gallice scriptis, externi sermonis non bene compos, « patois » nomine designat, quanquam ea dialecto publicis muneribus Venetorum civitas utebatur.

bant, curavit, nec Tassum imitatus est, qui, elegantiorem linguam consectans, poema suum rescripserat illudque corrigendo conturbaverat. Tuscum etiam, ut videtur, sermonem ipsum et dialectum quamdam esse arbitrabatur Goldonius, ac sibi, ut in Italia tota intelligeretur, communem linguam usui esse debere. Ad naturam sic propius accessit, sed illam viliorem nonnunquam; præterea gallicis dictionibus redundat, ex quo videre licet quantum, octavo decimo sæculo, nostris scriptoribus diligenter perlectis, gallico ingenio Italia sese accommodavisset [1].

Aliud crimen Goldonio intentum est, nec minus, cum Martellii causam de dramatico versu suscepit. Tragœdiarum hodie oblivione deletarum scriptor, quas magni tunc Scipio Maffæius faciebat, Martellius, in Gallia aliquamdiu moratus, doctis hominibus nostris, declinante Ludovici XIV principatu, familiariter usus erat. Italicæ igitur tragœdiæ novos versus, gallicis similes, excudere statuit, qui quattuordecim syllabis constantes, eodem sono bini concludebantur. Ut vero Gallis nimium favendi crimen vitaret, hos a Ciullo [2], Siculo poeta, qui tertio decimo post Ch. sæculo florebat, inventos finxit. Martelliani versus revera duobus constabant versibus, septem syllabis formatis unaque conjunctis, quorum alter tantum priorem duplicem versum simili clausula revocabat. Eorum versuum novorum majestatem ac pondus [3] laudabat inventor talemque addebat rhythmum italicis auribus non esse inauditum.

Permulta tamen Martellio objecta sunt; sed quanquam confite-

---

1. In sua ephemeride, cui titulus *Il caffè*, comes Verri ante notarium se vocabula « della Crusca » et quem prædicabant purum sermonem tuscum abdicare declaraverat. (Vid. *Il caffè*, t. I, p. 30, Brixiæ, 1764).

2. Cujus adhuc superstes unum carmen (*canzone*), ab Allacci recollectum (Vid. Ginguené, *Histoire littéraire d'Italie*, t. I, cap. 6, p. 337).

3. « Tardo e però maestoso » (*Discorso sul verso tragico*, quod prooemium Martelli theatro proponitur).

batur Goldonius « dementem » esse, qui eam italicorum versuum mutationem reperisset, narrat[1] se, jocandi gratia, quinquaginta annis post Martellii mortem, tales versus in integrum honorem restituere tentavisse. Quod ad exemplum *Terentii, Molieri*que sui versus composuit, quam posteriorem fabulam Maffæio dedicans, declarat se metro solutam primum inchoatam sic scribere decrevisse, ut, quantum res pateretur, argumentum gallicum gallico more tractaret. Martellianorum autem numerorum vitia pro viribus corrigere se conatum affirmat, ut eos naturæ propiores redderet, vitatis verborum inversionibus, constructionibus implicatis, periodisque longius productis, quibus rebus simul et qui audiunt et qui dicunt, fatigantur.

Carolus Gozzius Barettiusque furiose in Martellium invehebantur, quorum posterior nunquam nisi contemptim novorum versuum mentionem faciebat et, ut videtur, si minus Martellio Goldonius indulsisset, non tam aspere ab ambobus fuisset lacessitus. Raro tamen versibus utebatur noster, cui valide erat insita opinio, solutam orationem plerumque comœdiæ melius convenire[2]; de quo in fabula, cui *Theatrum comicum* titulus, sine ambagibus sententiam explicat, cum Lælius Horatio veterum Italiæ comicorum poetarum[3] exemplum opponit :

— « Antiquos vereor, respondet Horatius, sed non idcirco me persuasum habes. Veritati enim proximam decet esse comœdiam, et non verisimile est versibus colloqui personas. Objicies quidem ita dissimulari comicos versus, ut numero solutos credas. Cur igitur non sine numero scribis ? »

---

1. *Mémoires*, t. I, p. 127.

2. Idem sentiebat cardinalis Bibbiena, qui, in *Calandræ* prologo, hanc fabulam indicat metro solutam scriptam esse, quod sic homines, non versibus, colloquuntur. Antiqua sane disceptatio, in qua unusquisque ingenio suo magis favet, quam rem ipsam curat. Vide quid Fenelo de Moliero dixerit (*Lettre à l'Académie française*, VII).

3. Ariostus versibus comœdias suas scripsit ; immo quas primum metro solutas ediderat, postea in numeros redegit.

Quidquid de hac disceptatione sentiendum est, rei propositæ Goldonius institit. Versibus nonnullas tantum scripsit comœdias, cum tirocinium etiam poneret, ac postea, bonis judicibus placendi gratia, quasdam alias, quales sunt *Molierus, Terentius, Tassus,* quæ inter fabulas a scriptore summa cura elaboratas numerantur; ita vel invitus fateri videbatur nescio quid leporis numerum exacto operi addere.

Pernotum est in Gallia ipsa, Molieri ætate, metro solutas minoris æstimatas fuisse comœdias, quidquid de hoc Fenelo dixerit; in Italia etiam nulla fere fabula, nisi pede vincto, valde placebat, venetaque plebecula, non modo Tassi, verum Metastasii, et postea Alfierii carmina memoria retinebat, humillimo opifice *Artaxercem* nonnunquam inflata voce declamante[1]. Itaque Gaspardus Gozzius, qui Caroli fratris exemplum non secutus plerumque Goldonio favit ac venetis illius fabulis edendis operam dedit, scribere non dubitavit: « Semper errabit Goldonius, nisi versibus comœdias composuerit. Multi quidem se martellianorum tædere numerorum prædicant, quos plebs semper declamabit[2]. »

Notandum mihi videtur potius solutam quam pede vinctam orationem Goldonio placuisse, nam modus ita significatur, quo scænam corrigere statuit. Ex improviso antea recitatam comœdiam tantum scripsit, ut jam dixi; quæ cum necesse esset ut soluto sermone uteretur, raro ipse corrector versu usus est. Neque enim utilis hic labor apparet, in fabula eventibus maxime placitura; ut versibus adhibitis crescat audientium voluptas, vehementius numero exprimi affectus oportet, quibus hominum indoles liqueant; eventum autem versus tantum retardat.

---

1. Il nascer grande
E caso, e non virtù: che se fortuna
Regolasse i natali e desse i regni
Solo a colui ch'é di regnar capace,
Forse Arbace era Serse, e Serse Arbace.

2. G. Gozzi. Oper. omn. editio. Patavii, t. XVI, p. 294.

§ 4.

Naturam igitur assidue insectans, his hominibus inimicissimus erat Goldonius qui, nimiæ concinnitatis amatores, Marinum magistrum profitebantur.

Cum et rerum publicarum et sacrarum libertas periisset, neque aliquid serii dicendum restaret, cumque Italia servituti et simulationi tam apte sese accommodavisset, ut ne dominos quidem irridere in mentes veniret, Marini imitatio orta est. Sic Hispania non modo corpora, verum et animos, vinculis ita artius constrictis, regere cœpit. Nimium autem ab antiquis degeneraverat Italia quam ut insignes victorum virtutes imitaretur, falsoque nitore cæcata, vitia eorum amabat. His scilicet optime paratam terram præbebat, in qua morbidi flores præmature se explicaverunt contagiumque, primum Neapoli ortum, mox peninsulam totam invasit, ad Galliam ipsam postea redundaturum.

De quo nobis judicare licet si gallicas litteras, Ludovico decimo tertio regnante, perspicimus, in quibus illum reperias fucatum nitorem, quem Bolæus Tasso ipsi vitio vertebat : frequentiores verborum translationes, antitheta haud secus ac tela diutius librata, redundantes descriptiones, veritatis superlationes, vacuas et exaggerata verborum copia male vestitas sententias, stilumque continenter velut scintillas agentem. Quæ omnia « marinianum » genus aptissime significantia, et quasi decocta, in poemate *Adonide* [1] invenias, summo falsæ artis opere, quod tam multos habuit imitatores. Tunc apparent hæc blandiora amantium vocabula, quæ Molierus Bolæusque merito irriserunt : catenas, carceres, tormenta, dominarum crudelitatem, languidula deficientis spiritus

1. Vide de *Adonide* et mariniano genere : *La France, l'Espagne et l'Italie au* XVII[e] *siècle.* Philarète Chasles. Lutetiæ, 1877.

suspiria. Sincerus periit amoris sermo : omnia ficta, inflata canoræque nugæ.

Cum sic Petrarcam imitari arbitrabantur, dum Gongoræ tantum indulgerent, verbosius feminarum venustatibus ac severitate depictis, in vita nihil, nisi verum atque certum, ponderis aliquid habebat, ficta autem et sublimia non flocci faciebant omnes et suis quisque commodis utilitatique eo attentius serviebat. Rebus enim agendis aptissimum Italiæ ingenium his repugnabat, quæ melius cum Hispanis congruebant ; quo fiebat ut acta verbis discrepantia comici poetæ notarent, nec materiæ defuit Goldonius.

In nonnullis ejus fabulis languescentem videas personam, quæ semper durius translatis vocibus utitur, atque ei nomen plerumque Lælius. Cui si credas, solis lumina amicæ oculis exstinguuntur ; illius capilli odoratum flumen ; rosam vincit spiritus suavis, lilia oris color ; margaritis et ebori præstant dentes, ut de ceteris taceam. Amore perit [1] noster ; cælum, domina si jusserit, stellas rapturus ibit, aut regna subiget, gigantas domabit, naturæ tempestatumque leges turbaturus. Purissimo quidem, etsi ardente, amore urit, nihilque petit ; uno oculorum contuitu, uno risu contentus est, semper et ubique fidelis. Terrestria bona contemnit, quæ alioqui ignorat quibusque semper caruit ; huic autem bene dotatam uxorem si proponis, extemplo orationis species mutatur seriusque homo fit : nulla jam inania carmina, forensis autem clarissima elocutio pactumque conveniendum diligenter et accuratissime discutitur. Sponsa quid peccavit, domum patris fugit derelictaque jacet ? Parva res est. Amatorculus noster vano igni valedicit, famam, in discrimen adductam, certa diuque perpensa nummorum summa virgini integram restituere paratus.

Malesuada paupertas in excusationem quidem conferri potest ; iste enim artem profitetur nullam, cui epigramma pro jentaculo,

---

1. Cascamorto.

pro prandio versiculi sunt, dumque divitias cogitando permiscet, purpuram ac margaritas prodigus funditat, unam habet vestem, cujus limborum color obsoletus et trama tantum reliqua. Laborem vero ob superbiam contemnens, in thermopoliis primas diei horas, postmeridianumque tempus in quodam academico conventiculo agit, de puerilibus nugis cum ejusdem modi litteratis disputans; quadrante vivit, quem non sine cura cottidie obtinere potest. Huic tamen sæpius nobilis origo; familiaribus autem copiis effusis, ædes tantum ei supersunt, quondam magnificæ, sed quæ legum interdictione venumdari non potuerunt; quidquid vero intus erat summo fænore apud creditores pigneratum est. Singulæ clausæ sunt fenestræ, immensaque atria vacua manent, dum in loco quodam secreto miser grabato jacet, pedesque concerpta linteola transfodiunt.

Divitem etiam agit, honestæ si speciei credas, quodque vestitus extra apparet intimo est melius; servus comitatur, misero miserior ero et fraude vitam quærens. Cum instat fames, parasitus fit noster, cujus inexplebilis venter alienis mensis amplitudine mirationem movet. Cum luditur, lucrum facere sperans, fortunam nonnunquam adjuvat; si perdiderit, ad solvendum pecunia deest. Misericordia tamen ad summam quam vituperatione dignior, Italiæque ipsius similis, externo servientis domino, qui, etsi contemptus, illi positus in fænore est. Quem cum depellere nequiverit, singula recuperare sibi rapta tentat, ingenioque fidit.

Talis est Marcius [1], nobilis neapolitanus, Venetiis agens, sum-

1. « Don Marzio » in *La bottega del caffè,* quam forte fabulam Voltarius legerat, cum comœdiam celeberrimam, cui titulus : *L'Écossaise,* scripsit. Nec enim multum dissimilis Marcius Frelonis, ut alia persona, Fabricius, Goldonii Ridolphum in memoriam revocat. Odiosus autem Frelo, dum Marcius non bene conscius plerumque peccat. (Vid. *L'Écossaise,* ac præsertim hæc verba prooemii : « L'auteur peint la nature, qui est partout la même. *Il a la naïveté et la vérité de l'estimable Goldoni,* avec plus d'intrigue, de force et d'intérêt. ») L'*Écossaise* (1760) decem annis post *La bottega del caffè* (1750) scripta est.

mum cujus vitium de ceteris maledicere est. Candidus simul ac callidus, garrulus et mendaciloquus, prudentissimus etiam sub levitatis specie, non aleis ipse indulget, sed ludo deditorum fortunas sibi quæstui vertit. Rumusculos aucupans, vel minima, quæ audit, imaginandi vi transformat et in graves casus inflat. Quanquam lingua est maleficentissimus, malis stupet quæ loquendi intemperantia ceteris attulit; secreta sibi commissa prodit, feminarum famam letaliter lædens; fugitivum reum persequentibus defert ac se tandem ab omnibus increpari miratur.

Stultus etiam, sed gloriosus præsertim, apparet Heraclius in fabula, cui *Fraudator* [1] titulus est. Cujus familia indiget; uxoris gemmæ pignori datæ sunt; quomodo filiam nuptam collocare possit, ambigitur. Sibi nihilominus ab Heraclio imperatore originem probare quærit, cumque triginta septem urbibus nomen Heraclea sit, « Eraclio degli Eraclidi, septem et triginta urbium dominus », sese appellari intendit. Quo ludos omnibus præbet, nec etiam ab uxore, filia, ac nebulone, qui fabulam ducit, occasio ulla prætermittitur; facilior tamen in hac re successus quam ut spectatori valde placeat.

Quem si litterulis gloriantem effeceris, « *Fanaticum poetam* [2] » habebis, cujus ædes declamitatis carminibus sine intermissione redundant. Academiam enim condidit, Arcadum more, cujus sodales lusoriis nominibus designantur. Versus unusquisque componit: Petrarcam Rosaura filia imitatur; Octavius pater, vocabulorum indicis auxilio, heroica fingit carmina; nec servus ipse Brighella contagium omnino effugit. Quorum quisque a se excogitata declamat, quæ dimidiam circiter comœdiæ partem implent, ac chartulas accipiunt, dignitatis suæ indicia, a patrefamilias largiter profusas.

---

1. Don Eraclio in *Il raggiratore*.
2. *Il poeta fanatico*.

In *Tasso* ipso, quæ fabula potius seria veraque tractat, « il cavaliere del Fiocco », spectatores exhilarandi gratia, nimium concinnæ orationis amatores deridet, ac præcipue qui Venetiis « Granelloni » cognomine appellabantur, quibusque annumerabantur ambo Gozzii [1].

Quid sua ætate ridiculum ac futile admitterent italicæ academiæ, penitus noverat Goldonius, quantumque a doctis sexti decimi sæculi conventibus degeneravissent. Hujuscemodi cœtuum singulare nobis exemplum affert scriptor in illo *Commentariorum* loco [2], ubi quæ Florentiæ agebantur in « Apatistarum » academia narrat. Mæretur tam multam ingenii vim sine utilitate esse perditam ab hominibus, qui doctrinam, longo labore collectam, tam inanibus quæstionibus solvendis adhibebant. Illud autem uberrimam materiam comico poetæ præbebat, nec tamen satis acre illi ingenium suppetebat ut, quæ corrigenda videret, omnino emendaret. Post « *Ridiculas elegantiarum consectatrices* » [3] periculose ægrotabat ille cœtus, qui « Hôtel de Rambouillet » in Gallia nomine pernotus fuit, cum, licet « *Fanaticus poeta* » a Goldonio derisus fuisset, non minus Tusci academici valerent, scriptore potius peculiarem prosequente querelam quam patriæ operam præstante, cujus a posteris memoria servaretur.

---

1. Quibus addendi : Baretti, Marco Forcellini, Natale Dalle Laste, De Luca, Giuseppe Manzoni, Giuseppe et Daniele Farsetti, Sebastiano Crotta, Paolo Balbi, Nicolo Tron, ac multi alii. His « Granelleschi » etiam nomen erat, a verbo quod honestius tacere est.

2. *Mémoires*, t. I, p. 419.

3. *Les précieuses ridicules*.

IV

QUID CORRIGENDO THEATRO, QUANTUM AD *MORES* PERTINEAT, EFFECERIT GOLDONIUS

Nec minus urgebat mores corrigendi quam exactiores fabulas reddendi necessitas. Ex utroque comœdiarum genere, quæ ante Goldonium exsistebant, haud facile diceres utrum magis honestate careret. Popularibus potius veniam concederem, quæ, etsi bonis moribus offendebant, inconsulto forte, nec bene consciæ, peccabant. Crassior enim quam luxuriosior, popularis comœdia plebis similis erat, quæ voluptati rudis naturæ impetu plerumque indulget, dum erudita fœdarum rerum concinne ornatarum nitorem excoquebat.

Periculosiora autem fiunt obscene gesta, cum exquisitis verbis velantur. Purissimæ tuscæ orationis blandimenta *Calandræ* ambigua, et subtilia, quæ prodit in *Mandragora* Timotheus monachus, abdebant. Quid e *Talantæ*[1] materia fecerit Aretinus præsagire non difficile est; Ariosti fabulæ, tam acuto stilo scriptæ, non multo potius, si fundum exquiras, quam ceteræ eruditæ comœdiæ valent. Ubique[2] enim morum contumacia, ut inveteratum vulnus, ostentatur, quod occultare nemo jam attendit. « Hæc si tibi fabula sæpius honestatis fines transgredi videtur, ait Dulcis in proœmio quod *Adulescentulo*[3] anteponitur, bona venia concedas,

1. *La Talenta,* sive Meretricula.
2. Vide Cecchi, Lasca, Lodovico Dolce comœdias.
3. *Il ragazzo,* fabula a Lodovico Dolce composita.

ut hodiernos mores veritati proximos reddam, omnia dicta actaque horum exemplo lascivire oportere. »

Mandragora vero summo apparatu coram Leone decimo, et *Calandra* ante Henricum secundum uxoremque reginam, cum Lugdunum, anno 1548, ingressi sunt, fuerunt actæ. Cardinali purpura Bibbiena decoratus erat, et scriptoris gravitatem famamque Macchiavellii comœdiæ minime lædebant. Hæc enim oblectamenta esse videbantur, quibus eruditi viri summorumque principum legati publicarum rerum curas levarent, et quæ minimi momenti habebantur. Immo animadvertendum hujus ætatis fabulas, quo moribus vitiosiores, eo attentione esse digniores, nam, cum æqualium vivendi modum fideliter retractant, tunc solum vivas imagines exprimunt, ceterum tempus ficticias atque ab antiquis tradita serviliter imitantes.

Emicuit autem brevi temporis momento erudita comœdia, dum populares fabulæ assidue et frequenter audiebantur. Tentavit vero Petrus Cotta, cui Cælius cognomen, eas spurcitiis, quibus sordebant, expurgare; nec melius tamen successit quam Riccobonius, hujus discipulus. Lascivia enim turpesque amores, ut antea, præcipuas in popularibus et in eruditis comœdiis partes tenere minime desiverunt. In omnibus fabulis, velut locus communis, adulterium adhibetur, peccaturque tacente criminis conscientia, quasi natura atque omnium consensu res concederetur, ut de servis limacibus, de fraudulento doctore, de senibus voluptati deditis taceam. Ista enim leviora videbantur neque in serium magis convertenda quam in antiquo nostro theatro, quod hanc materiam, ab Italia commodatam, propriam sibi fecit.

Medio tamen sexto decimo sæculo res melius ire cœpit; nimia enim licentia suppressa, Tridentino a concilio provisum erat ne scriptores veterem modum diutius sequerentur, atque eos papæ castiores, qui Borgiis Medicisque successerunt, attentiores fabulis corrigendis reddiderant. Francus, qui primum amicus et postea Aretino adversarius fuit *Priapeiam*que ediderat, patibulo Pii quinti

jussu affixus est (1569). Comœdiam[1] scripserat igne damnatus Romæ (1600) Jordanus Brunus, quæ philosophi tristem exitum non hercle! tardavit. Mediolani episcopus Carolus Borromæus fabularum censuram publicam instituit, quas ex improviso recitatas Flaminii Scalæ ducis comicus grex agebat.

Tunc autem prioribus vitiis novum additur, scilicet assimulatæ virtutis species, qua servata, secretis indulgetur libidinibus captiosaque argumenta pro excusatione allegantur; sic ad decimum octavum sæculum pervenitur. Quo tempore Italia effeta, Galli hominum mentes ducere visi sunt: Germaniam ea gens expergefacit philosophorum propulsu; in Hispania et Britannia, aliam prius disciplinam doctis, novæ normæ studium fovet; immo vesanos adversarios, ut Alfierium, ad simplicem elegantiam, quam ipsa profitetur, convertit. Gallicum quidem ingenium, quod Cartesius olim finxerat[2], definiri posse videtur, ut novissime et proprie dictum est, *classicum*, cum germanicarum gentium *romantico* ingenio opponitur. Tam simplex quam id multiplex, abstracta volvere amat; res generaliter considerare; quæ ad hominem pertinent, spectare; nec etiam coloribus variis excogitata induit; soluta tandem oratione potius utitur, scientiarum quam poesis amantius.

Sed dum sic ratiocinabantur, languescere paulatim imaginandi vis, cui ut robur novum redderetur, externis e fontibus haurire tentatum fuit. Persæ tamen, aut Sinenses vel Turcæ, quanquam in scænam protrahuntur, philosophantur et ipsi, nam quod maxime, ut videtur, interest, proxima est utilitas præceptaque ad effectum adducenda. Prædicationi tantum auxilio fiunt litteræ pulpitaque rostra late sonantia, quibus et magistratus et reges in tragœdia, vulgus in comœdia docetur.

1. *Il candelaio.*

2. Vide: *Essai sur l'esthétique de Descartes,* étudiée dans les rapports de la doctrine cartésienne avec la littérature classique française au dix-septième siècle. E. Krantz. Lutetiæ, 1882.

Vitiosiores vero nunquam fuere mores, dum nunquam de virtute magis in Europa tota prædicatum. Communem igitur viam Goldonius secutus est, cum et moribus emendatam patriæ scænam restituere decrevit. Derelictam autem jacentemque eruditam comœdiam ad vitam revocare difficilius existimans, ex improviso recitatam expurgare maluit melioribusque moribus ornare, ut hoc saltem cum « classico » Gallorum theatro contendere valeret[1].

Opus aggreditur, omni tempore arduum, scilicet scænam cum bonis moribus, immo cum Ecclesia ipsa reconciliandi. Hanc rem nihil clarius illustrat quam epistola, qua *Molierum* suum marchioni Scipioni Maffæio dedicavit. Maffæius, ut notum est, conspicuum locum in litteris italicis, decimo octavo sæculo, obtinet; scænam emendare et ipse conatus, dum rebus antiquis divinisque studebat, animum recreandi causa, comœdias edidit, quæ satis goldonianis congruebant. Marinianam enim affectationem præcipue oderat, naturamque sectabatur, siccitatis periculo non semper vitato. Illius præcursoris patrocinium auctoritatemque his verbis invocat discipulus :

« Palam in lucem protulisti comœdias, præsertim quæ hoc sæculo edantur, ad corrumpendos quam ad corrigendos mores aptiores esse. Cum theologis autem, qui immoderata vitant, si tua sententia convenit, multum abes ab his fanaticis, qui cuncta theatra igne consumpta videre vellent quibusque comœdia et peccatum unum et idem significant. Quam honestatem in tuo *Italico theatro*[2]

1. Nec omnino tamen in ipsa vita reprehensionem Goldonius effugit, ut videre est in libro quodam recente : *Les Comédiens du roi de la troupe italienne* (Lutetiæ, 1880), cujus scriptor Em. Campardon, et in quo contra nostrum poetam, tum sex et quinquaginta annos natum, raptus querelam invenias. Sed hæc forte calumnia, nam postea petitrix accusatione destitit plane sibi satisfactum confessa.

2. *Teatro italiano,* ossia *Scelta di dodici tragedie* per uso della scena, premessa una istoria del teatro e difesa di esso. Veronæ, 1723-1725. *Ibid.*, 1728.

ostendisti, eadem necesse est scænicis ludis adsit. Majore cura si servabitur, vitia si damnabuntur, ridiculo si homines de meliore vivendi modo, illæsa virtute, monebuntur, nemo tam severus erit, qui principes hortetur ut theatra aboleant, ac qui sacerrimis mysteriis spectatores prohibeat.

« Sed non satis quidem est te arte atque ratione vincere; vitandum enim ne a rigidioribus viris opponatur quam difficile sit rem ad effectum ducere : bene moratum theatrum inane tantum aliquid esse, neque honestatem cum scæna congruere posse, certum esse piaculum, periculumque manifestum. Exemplum ipse decentis, emendati, legitimi gravisque cothurni dedisti idemque lepidi socci, et cum nobis cujusque scænicorum ludorum generis imitandam imaginem præberes, deesse tantum scriptores intelleximus, qui tua vestigia sequi valerent..... Qui sine intermissione de theatro declamitant, nunquam nimirum *Meropen* legerunt; quod si hoc mira arte elaboratum opus novissent, aut tacerent, aut saltem vituperationem istis servarent, qui minime curant ut te imitentur.

« Viginti abhinc annis, scænicarum rerum studio raptus, comœdis familiariter uti incepi, quos utriusque sexus pæne omnes novi. Inter eos quidem et feminas parum castas et corruptis moribus viros inveni; eadem tamen vitia apud ceteros diversæ conditionis etiam reperias... Honestissimos autem homines hanc artem professos comperi tantæque pudicitiæ mulieres ut vel secretissimam vitam agentibus pudorem afferrent. Non negaverim spectatoribus in theatro occultorum amorum occasiones frequenter nasci; idem autem fit in conventibus, ruri, atque in locis ipsis sacerrimis et maxima veneratione dignis. Dicere immo non dubitaverim rebus actis attentum amantis animum a proposito [1] sæpe deterreri, cum aliis locis tota illius cura in domina defi-

1. Vide contra quid P. Ovidius de spectaculis, fovendis libidinibus aptissimis, dixerit. *De arte amandi*. Lib. I.

gatur. Interdum etiam versibus nonnullis egregie declamatis, sententia quadam aut dramatis evéntibus in intimo pectore lasciva virgo movetur vitæque normam e theatro nonnunquam percipit, quam ab avidiore aut nimium morigera matre non audivisset. »

Narrant enim nonnullos auditores, Goldonii fabulis spectatis, vitam omnino mutavisse, et sibi ipse poeta gratulatur[1] maritum quemdam, *Bona uxore* visa, ad meliora revocatum fuisse, quanquam modeste addit, res si vera sit, quod testari sibi non liceat, hunc spectatorem jam bene, antequam theatrum introiret, ad emendationem fuisse paratum.

Quod corrigendæ scænæ propositum primum materiarum delectu perficere conatus est Goldonius. *Bona uxor, Bona mater, Bona familia, Honesta virgo, Honestus fortunæ sectator*[2] ipsis titulis bona fide spectatorem monent optimaque exempla promittunt; videat ipse num philosophiæ præcepta, comœdiarum nomine, audire sibi placeat. Ea autem morales sententias et in comœdiis eventibus implicatis[3] ogganiendi consuetudo illius ætatis theatrum indelebili nota signat, licet simul et antiquæ personæ serventur. Etenim, Brighella integræ fit fidei procurator, bonos mores Pantalo docet, patrem veretur Leander, Balanzonius doctor jus clientibus incorrupte promit, Rosaura timide amat ac, dum amatoriis nugis Beatrix indulget, justas semper nuptias in animo habet. Cum præcipere potius quam vera depingere intendat poeta, quorum corrupti sunt mores, ii consilio repelluntur, et quando in Gallia *Beneficus morosus* actus est, animadverterunt critici[4] Goldonium « omnibus, sine ulla exceptione,

---

1. *Mémoires,* t. II, p. 29.

2. *La buona moglie, La buona madre, La buona famiglia, La putta onorata, L'avventuriere onorato.*

3. Vide exempli gratia : *I due gemelli veneziani.*

4. *Mémoires secrets* de Bachaumont (die 5 mensis novembris 1771) ; *Correspondance de Grimm,* éd. Tourneux, t. IX, p. 389.

personis eamdem probitatis ac virtutis speciem dedisse », eumque reprehenderunt quod et præcipuam personam, cujus vitium comœdiæ titulo sit, spectatores admirari coegerit.

Nihil igitur rarius in goldoniano theatro quam homines invenire vitiosos, etiam ut ceterorum virtus dissimilitudine clarius emicet; sin autem res unquam accidit, severitatis exemplum in reos editur nec morte afficere nocentes poeta dubitat, licet comœdia agatur. Sic in *Bona uxore*[1] adulescens quidam, venetus nauta, libidinibus deditus, qui præcipuæ personæ maritum corrupit, pugione perfoditur; Sigismundus in *Adulatore*[2], Pancratius in *Venetis Gemellis*[3] veneno sibi mortem consciscunt ac coram populo supremum emittunt spiritum sceleraque pœnitentes confitentur. Nebulonibus pellis semper detrahitur et supplicium de iisdem sumitur; turpiter depelluntur parasiti; cantatrices nec non saltatrices, quæ adventicias personas agunt, honestæ sunt plerumque virgines, ac, si blanditias sibi dici interdum sinunt, non vana illis spes est amantibus aliquando nubere.

Quod ad feminarum cum viris commercium attinet, prudentia tanta, quæ nimia interdum videatur, Goldonius tractat : nihil aliud, exempli gratia, illius *Domino Joanni*[4] vitio vertendum est, nisi quod virgini cuidam connubium spoponderit fidemque, illæsa tamen puellæ pudicitia, violaverit; in *Milite amante*[5] juxta adulescentem, signiferum Hispanum, qui delicatissimi amoris exemplum præbet, videre quidem licet subcenturionem « don Garcia » multiplicibus lascivientem amoribus mulierculasque haud cunctanter derelinquentem, quotiescumque præsidium loco mutatur. Quales tamen certo fuerint istæ conjunctiones minime explicatur, tibique existimare licet de sponsalibus tantum agi; nulla enim

1. *La buona moglie.*
2. *L'adulatore.*
3. *I due gemelli veneziani.*
4. *Don Giovanni Tenorio* o *Il dissoluto.*
5. *L'amante militare.*

scæna nulloque verbo a feminis unquam violatum pudorem significatur. Contra, cum justæ nuptiæ fuerunt fœderaque certa, majorem forte modestiam desideres, nam interdum longius in eo commoratur scriptor quod ad conjugum jura spectat.

Qui per Italiam decimo octavo sæculo iter faciebant, rem quamdam peculiarem et huic regioni propriam peregrini mirabantur; de « cicisbei » loqui intendo. Quod ab Hispanis institutum dicunt[1] : mirandum quidem, eam gentem, quæ in amoribus vere orientalem zelotypiam ostenderet, in Italiam vivendi modum intulisse quo matrimonii vinculum pæne omnino relaxaretur; sed non obliviscendum validissimum Hispanorum affectum esse superbiam, quæ, zelotypiam quanquam plerumque exasperat, eamdem nonnunquam comprimit. Itaque hic populus, qui capite sanxit quominus « regina tangeretur », non regiarum tantum uxorum, sed et nobili loco ortarum decus servandum armigero cuidam vel equiti voluit, qui dominam, sive cum ad templum ibat, sive in ambulatione, comitabatur, ut temerarios amatores removeret. Plerumque satelles nobili stirpe ortus, grandioris ætatis commodis carebat et apud patronum sportulam merebat, intelligebantque marito summis negotiis onerato tempus deesse ut ipse uxorem custodiret.

Talem in Italiam importatum morem imitari festinarunt indigenæ. Mediocris autem conditionis cives, tantum sumptum cum ferre nequirent, mutuis erga se officiis fungebantur. « Medicus[2] causidicum, familiarem suum, rogabat ut in forum uxorem comitaretur, dum ipse causidici conjugem deduceret. Genuæ, apud patricios, in dotali instrumento futuri « servientis equitis »

---

1. Alii volunt hunc usum primo Genuæ ortum, ubi mariti, cum mercaturas faciendi causa sæpe peregrinari cogerentur, amico cuidam uxorem interea custodiendam committerent.

2. Stendhal, *Vie de Napoléon*, chap. VII; *Rome, Naples et Florence; Promenades dans Rome*, passim.

inscribebatur nomen, qua appellatione idem ac « cicisbeo » significabatur. » Paulatim autem, cæli italici dulcedine, desidia, barbaræ dominationis tædio adjuvantibus, in libidinem hæc consuetudo degenerare cœpit primumque in honorem et tutelam assumptus, eques dominæ adulter evasit atque hujusmodi concubinatus, omnium consensu toleratus, temporis diuturnitate honestus fere visus est. Maritus etiam pro parte sua in alium locum curam transferebat damnumque, ut ita dicam, compensabat. Quos mores valde mirati sunt gallici milites, qui anno 1796 in Italia bellum gerebant [1], resque ita se habuit donec renovaretur priscus vivendi modus, cum nostris armis publicarum rerum status mutatus est. Quod ad corrigendum non mediocri fuerunt adjumento meliora exempla a principis Eugenii regio comitatu data filiæque nobilissimarum Italiæ gentium severius institutæ [2].

Isti consuetudini persæpe alludit Goldonius, nec tamen veræ rei naturæ insistit. Sic, in *Antiquarii familia* [3] socrus nurusque pariter « servientium equitum » officiis utuntur utriusque negotia gerentium mandataque exsequentium. Quæ tamen accessio tantum est; is mos contra principale invenitur in comœdia cui titulus : *Eques et matrona* [4]. Quo magis præcipuas partes agentis feminæ virtus emineat, illi mulierculæ opponuntur, quæ longe alia vivendi ratione utuntur amatorculosque habent, quibus maritorum jura et officia incumbunt. His quidem dominarum domus, et intima ædium pars, omni tempore patent [5], cum amicæ amicam salutatum venienti exspectandum sit donec « cicisbeo » exierit. Ea tamen familiaritas gravibus curis emitur : continenter adsit noster necesse est, prompta ad ducendum manu, si exire

1. Vide. *Mémoires du comte Miot de Melito,* t. I, p. 125-128, éd. in-12.

2. Cf. *L'instruction publique en France et en Italie au XIXe siècle,* par Charles Dejob. Lutetiæ, 1892.

3. *La famiglia dell' antiquario* o *La suocera et la nuora.* (Act. III, sc. 6.)

4. *Il cavaliere e la dama* o *I cicisbei.*

5. Act. I, sc. 8.

placet; si domi manetur, domina ipsa ejusque amici oblectandi sunt; cum luditur, multi nummi aleis committendi et, si sors contraria, quidquid perdiderit muliercula solvendum est; ante omnia et servis attendendum eosque objurgandum, si quid deliquerint. De his minimis enim curandi neque otium, nec studium patrifamilias, qui proprias res pro parte sua gerit. Quandocumque amici visitantur, naturalem par quisque ordinem commutat : maritus mulierem, cui servit, ducit, illoque præsente, uxorem « cicisbeo »[1]. Alteri autem neuter invidet; gaudet contra uxor maritum feminæ alii placere, dum ipse permultos amantes conjugis suæ venustate adduci retinerique miratur.

Nonnunquam tamen severioris indolis homines invenias, qui talibus offenduntur moribus, ut in *Prudente uxore*[2] cernere est. Conjugem quanquam « don Roberto » amat, hanc, ne rideatur, servientibus carere non sinit, cumque adsunt, prudens recedit, libero dato spatio; ex inopinato autem redit, nec justam semper impatientiæ causam quærendam curat; plures tamen quam unum adesse præfert, alium aliis offensurum non stulte existimans. Uxorem se curru comitaturum negat, sin autem paululum exspectata moratur, rem ægre ferens, sermonem audire nec jam valet portamque assidue observat; locum mutat, ut amatorculos, qui conjugem obsident, arceat risumque fingens sellas, quæ propiores sibi videntur, amovet. Lætitia tandem exsultans nuntium optatissimum recipit, quo certior fit Eulaliam, curarum levandarum causa, secum ruri posthac segregem vitam ducturam.

Minus etiam tolerare molestam rem potest in *Viro prudente*[3] Pantalo, qui lautiorem vivendi modum ignorat, nec communi rationi indulgendum sibi putat. E vulgo ortus, semetipsum proprium decus servare intendit, nec vult singulari certamine vitæ

1. *Il cavaliere e la dama*. Act. III, sc. 15.
2. *La dama prudente*.
3. *L'uomo prudente*.

periculum adire; melius videtur a tergo occupatum amantem sicarii cujusdam, mercede conducti, ictibus occumbere, aut pedica inopinantem circumveniri, qua simul et homo et culpæ indicium cesserint[1]. Hæc quidem fabula multum prodesse potest ut italici mores penitus intelligantur; personam enim istam admiremur Goldonius haud dubie efficere intendit, quæ, Ulyssis instar, audacioribus procis se expedit, providetque ne in judicium res deveniat. Multo plausu accepta est comœdia, qua suæ gentis intimos sensus movere scriptor valuerat.

Non mirandum, hercle! tutores patresque parum esse quietos et ab uxoribus maritos cavere ne conjugii fidem lædant, ea facilitate qua connubia tunc jungebantur[2]. Frequentissime pupillæ aut uxori monasterium illi minantur, cujus tamen usurpare nomen in scæna non licebat. Fingitur itaque puellam ruri apud materteram educari; qua specie libere Goldonius objicit in conventibus virgines simulatæ virtutis speciem affectare doceri, nec tamen occultos excludi amores.

Virtutis enim simulatio summum hujus effetæ ætatis vitium apparet; quod omnes tunc exsistere consentiunt, licetque corrupti mores ante oculos patefiant, verbis tamen summa cura parcitur probatissimaque specie interioris pudenda occultantur. Nec jam in scæna audetur affectuum legitimis motibus spatium dare, quandoque Parmæ, anno 1756, gallicam fabulam ante Philippum ducem Ludovici XV, Galliæ regis, generum agi vidit Goldonius, in qua adulescens quidam puellam osculabatur : « Hæc

1. Act. I, sc. 16.

2. Solo consensu manibusque, adductis testibus, junctis. Nec id unum restabat romani juris vestigium in recentiore Italia. Et decimo octavo post Christum sæculo, filiifamilias in potestate patris Venetiis remanserant, nec plus juris habebant quam Romæ, cum peritissimi jurisconsulti florerent. Filiusfamilias, nisi a parente manumissus, obligari non potest; si quid deliquerit, hunc in navem, gregarium nautam, conscendere pater, puniendi causa, jubere valet. (Vide Goldonii *Patremfamilias*, Act. III, sc. 26.) Dos uxoris est, nec ea plus repetere potest quam receperit, si vidua erit, aut repudiata.

actio, addit[1], e natura prompta, Gallis tum licita Italisque vetita, mihi tantopere placuit ut, quantum valerem, exclamaverim : « Plaudite, cives ! » Tam graviter lædi publicum pudorem non tolerabatur apud gentem in qua « cicisbei » florebant, atque ita explicatur cur tam pallidi fuerint goldonianarum fabularum colores. Verum tamen scriptor intelligebat, cujus rei testis hujus prædicta exclamatio, qua, suæ artis angustias sentiens, fines propagandi necessitatem indicabat.

Censuræ reverentia Goldonius etiam singularis certaminis consuetudinem vituperat. Hujusmodi certamina, germanico more introducta, nunquam in Italia optimæ civitatis jus obtinuerant, injuriasque suas homines non tam urbano modo plerumque ulciscebantur; honoris tamen vindicatio apud optimates, Hispanorum ad exemplar, paulatim invaluerat ; quam noster, natura pacis amans, non multum dubitavit e fabulis expellere. In *Equite et matrona*[2] rarissimum locum invenimus in quo de hac consuetudine agitur, eamque scriptor sine ambagibus reprehendit. Cum adulescens quidam virum, qui æquus et ratione vitam agens describitur, ad singulare certamen inconsulte provocasset, hic respondebat : — « Prohibet infamia, qua istius certaminis crimen notatur, quin provocationi tuæ par referam. Gladio autem sum cinctus ad me defendendum injuriasque repellendas ; me semper manu promptissimum invenies, ubicumque provocare audebis. »

Existimabat sane Goldonius ita conciliari posse et magistratuum reverentiam et viri decus, qui inter civitatis optimates numeratur. Difficile tamen huic responso plausissent gallici spectatores, licet gravissimis pœnis, qui talium certaminum participes fuissent, afficerentur ; in Italia etiam, ut apparet, judicatum est hanc personam nimium legum severitatem reveritam esse.

---

1. *Mémoires*, t. II, p. 254.
2. *Il cavaliere e la dama* o *I cicisbei*.

Concorditer itaque cum censoribus rem agebat Goldonius, nec pœnas reformidabat, quæ suo theatri emendandi consilio favebant. Non publica tamen censura exsistebat cum fabulas scribere cœpit, cujus rei desiderium in *Prodigi*[1] procemio exprimit; hanc quidem comœdiam primum antiquo more compositam posthac ita correxit ut « ab honestissimo quoque religionisque servantissimo probaretur ». — « Utinam, addit, prioris meæ temeritatis omnes in oblivionem venirent ! pro qua sincera fide veniam peto..... Gratias igitur salutaribus magistratuum jussis ago, qui comœdiarum emendationem procuraverunt, laudeturque censorum severitas, quibus hæc inquisitio commissa est ! »

Æquiore animo necessariam tolerare vim difficile est, Goldonii quidem æmulis magis quam ipsi nocituram.

---

1. *Il prodigo.*

PARS SECUNDA

V

GOLDONIANARUM FABULARUM DIVISIO

Cum jam nobis compertum sit quid sibi corrigendum in comœdia proposuerit Goldonius, quomodo in hac re successerit particulatim inquirendum est.

Immensum ejus est opus, quod plusquam triginta annos non interrupto labore persecutus est. Nec tamen illi scribendi tempus eligere, nec studio indulgere licebat, nam victus e theatro, et plerumque tenuis[1], erat quærendus. Scænicorum gregum ducibus mercede famulabatur poeta, quibus pacto convento certum fabularum numerum quotannis edebat. Libelli, quibus in foro fabulæ gerendæ inscribebantur, sæpissime mutandi erant, cum eadem comœdia ter tantum aut quater ageretur, si parvo, vicies ad summum, si maximo plausu acciperetur, rarique spectatores novitatis cupidine alliciendi essent.

Quo fit ut pæne infinita sit goldonianorum operum diversitas: fabulas enim invenias quæ indoles retractent, quæ implicatis eventibus constent, quæ plebis aut mediocris conditionis civium vitam

1. XVI comœdiis, quas uno anno (1750) composuit, CCC libras venetas tantum meruit.

effingant, quæ fabulosa narrent, quæ in arto quodam amicorum circulo spectandæ sint, tragœdias etiam, et serias vel comicas, quæ musicis modis decantentur, fabulas.

Ex his omnibus quod frequentissime tentatum est genus, ad comœdiam pertinet quæ hominum indoles effingere conatur, quippe quæ scriptoris corrigendi theatri studio quam optime congrueret.

§ 1. — *De fabulis quæ indoles retractant.*

Extemporalis comœdia, quam obliterare cupiebat Goldonius, natura ipsa implicatis eventibus maxime valebat, ibique eædem semper personæ conditiones potius quam hominum indoles referebant. Personam quamque vestis, majorum more tradita, corporisque ipse habitus primo adspectu populo denuntiabant; abstractæ, ut ita dicam, generalesque erant, quanquam propriis distinctæ signis, ut dialecto larvaque. Eventus tantum novitate quadam implicati quærendi erant, quibus persona quæque, servata sua bene nota indole, misceretur. Ex pacto, si dicere licet, servatas extemporalis comœdiæ indoles ita distinguere conatur Goldonius proprio quodam affectu, vitio aut ridiculo, ut tradita a prioribus variet, verumque magis peculiare, id est naturæ propius, attingat : ita magis ac magis veritati strictius observatæ locum cedit eventuum implicatio.

Negare nolim arduum fuisse tale propositum, nam qui indoles hominum ita retractat, is penitus se dat, ut ita dicam, in familiaritatem humani generis. Paucissimi revera indolem habent, id est prævalens studium, omnium a nobis actorum causa atque instrumentum : vere avari, vere dissimulatores, vere dissoluti rari sunt; plerique enim, leviore voluntate inclinati, bonum malumque miscent, atque usu vel consuetudine non bene conscii trahuntur. Itaque perraro vera indoles in theatro invenitur, qua

multorum sparsa ac diffusa lineamenta in unam coguntur, natura majorem, effigiem; quo nihil aliud difficilius, cui comicus poeta se toto animo dare possit, cumque rem exacte perfecit, non tantum animos aliquo temporis momento jucundis fabulis occupat, sed et philosophorum modo mores penitus illuminat humanamque mentem nova specie illustrat. Quamobrem apud omnes gentes non alterum forte invenias qui, ut Molierus, hanc arduam operam plane perfecerit.

Ut idem prospere tentaret, Goldonium quidem multa deficiebant, ac primum spectatores. Nec satis enim fortasse animadverterunt quam Moliero fuerint, qui audirent, operis participes: ea civitatis pars, quæ tunc hominum opiniones formabat, litteris imbuta, otio simul fruebatur, comœdiæque non eadem certe religione, sed tam attento animo quam sacris illustrissimorum oratorum contionibus aures præbebat. Etenim de theologia disceptationibus, subtilibus rerum, quæ ad conscientiam pertinent, quæstionibus, ecclesiasticæ cathedræ monitionibus, culparumque confitendarum consuetudine, morum difficillimo cuivis problemati assuefacta evaserat. Præterea auditores promptum animum rei spectandæ habebant, nam ante solis occasum fabulæ gerebantur tempusque supererat de rebus actis colloquendi, recenti etiam memoria, cum, nostra ætate, longa die negotiisque defessi, ac sæpe serioris cenæ torpore hebetati, horæ præsentis oblectamentum potius quam meditationum materiam in theatro plerumque quæramus.

Aliis de causis Goldonii auditoribus comœdia seria non multo magis placebat. Nec otium tamen, sed attendendi animi vis deerat; nam dum assidebant, de alearum sortibus, quæ in « Ridotto » jaciebantur, aut de vestibus in Bacchanalibus mutandis præter voluntatem meditabantur, ac sæpius commenticias fictasque, ut quæ a Gozzio compositæ, fabulas desiderabant, quarum poetice inventa non semper intelligebant, sed illarum pueri-

libus delectabantur miraculis. Quod si ante eos indolem quamdam poeta penitus scrutatus esset, tædium certe attulisset.

Adde quod præterea exemplaria ad imitationem deerant. Indoles enim tantum invenitur in animis, quorum viget voluntas, cum Italia, quæ antea tam multos acres vegetosque viros ediderat, declinante decimo octavo post Christum sæculo, præsertim Venetiis, nullum talem prodere pæne valuisset, voluptati ac metui tota fere dedita. Non in hoc solo vita revera vivenda supererat, libidoque ipsa, velut in fossis inclusa, a suspiciosis dominis cavatis, artis molibus cohibebatur; alea tantum molles remissique animi interdum vibrabant, spe opes brevi momento assequendi, quæ voluptatem suppeditarent.

Deerat etiam Italiæ quod Galliam a sexto decimo sæculo non defecit: totius gentis vitam una in urbe coalescere, ibique fervere intentius; communem agendi modum principis aula urbi præcipuæ, atque inde provinciis imponi. Quidquid ab hac norma differt singulare ridiculumque videtur ac comici poetæ juris fit. Ad Venetos contra pæne unos goldonianæ fabulæ spectabant, et ridicula ab illis derisa non plerumque ceteræ Italiæ urbes eodem modo judicabant. Multum se Tusci, exempli gratia, Venetis prævalere arbitrabantur, nec risu dignum putabant se alterius urbis politos non imitari homines, in hoc nostratum civitatularum dissimiles incolarum; urbs enim deerat quæ ceteris dux ac vivendi arbiter videretur.

Carebat tandem Goldonius illa philosophiæ disciplina, quæ tanta copia Moliero, olim celeberrimi Gassendii alumno, suppetebat. Inter tam multos errantis vitæ casus exteriora solum humanæ sortis italicus poeta perceperat et circum præcordia ludebat: tantum aberat ut intima perscrutaretur atque invenire illa tam frequentia apud Molierum verba valuisset, quæ subita luce penitus indolem illustrant. Quorum si quædam apud eum reperiuntur, aut ex imitatione proveniunt, aut translata sunt.

Itaque quas pollicetur fabulas indolem retractantes, frustra re-

quiras, mentiunturque tituli, qui talia denuntiant[1]. Vera enim indoles tam valida nota signata est ut nunquam aboleri possit,

. . . . Servatur ad imum
Qualis ab incepto processerit et sibi constat.

Goldonianæ contra personæ, cum explicatur fabulæ nodus, plerumque corriguntur[2]. Naturæ autem vis vehementior est magisque emendationi repugnat; sed gestit tantum Goldonius contentum dimittere spectatorem, secumque, antequam dormiat, documentum, quod in theatro acceperit, meditantem. Quo facile videre licet quantum discrepent reconditum Molieri ingenium facilisque Goldonii jucunditas; paulum ille curat utrum auditores contenti, necne, domum redituri sint, dum vera spectaverint. Itaque, etsi prima specie Goldonius moribus corrigendis magis studuit, rei efficiendæ hujus fabulæ minus sunt quam Molieri utiles. Talibus enim extenuatis imaginibus non moventur homines, nec unquam terrentur, diem cum arbitrantur esse venturam, qua et ipsorum vitia purgentur; hac vero spe delusi, præsentis momenti libidinibus indulgent, in posterum semper morum emendationem differentes: novum hujus tam veræ sententiæ exemplum, bonum verumque unum esse et idem, artemque, dum sincera sit, semper moribus prodesse.

Cujus rei nunc argumenta adhibenda sunt. Post *Beneficum morosum*[3], quæ fabula gallice scripta est, optima Goldonii comœdia indolem quamdam retractans titulum habet : *Aleatorem*[4]. Aleæ enim pericula scriptori notissima erant, utpote qui et ipse huic libidini indulsisset : « Experto crede Roberto », reum se

1. *L'uomo prudente, Il prodigo, L'adulatore, Il bugiardo, Il giocatore, L'avaro, Le bourru bienfaisant*, etc.

2. Vide Pirlonem in *Moliero*, Lælium in *Aleatore, Prodigum*, etc.

3. *Le bourru bienfaisant*.

4. *Il giocatore*.

confitens, in prooemio ait. Fabula tamen non prospere successit; periculosa enim materies erat et quæ nimium spectatorum commoda, si plausibus fuisset accepta, læsisset, cum publicis ludis hac ætate fere tota civitas viveret, Venetias permultis peregrinis ita allectis. Θερμοπῶλαι, caupones, meretriculæ, æruscatores nummis ditescebant qui fortunæ commissi erant[1], certarumque reipublicæ opum fons perennis videbatur quod « Ridotto » vocabant; itaque pro publico hoste fuisset qui tale vectigal minuere tentavisset.

Nec primum tamen in *Aleatore* lusorem prodebat Goldonius, qui adventiciam personam, aleæ deditam, in *Thermopolio*[2] jam produxerat. Nihilominus nondum existimans « satis se de hoc infelici vitio dixisse[3] », rem penitus exponere in peculiari fabula statuit, cui significantiorem dedit titulum. Nullo verbo quidem sive in comœdiæ hujus prooemio, sive in *Commentariis* concludi potest Goldonio Regnardi nostri ejusdem tituli fabulam notam fuisse, quod tamen difficile admittendum videtur, cum italicus poeta gallicum theatrum optime noverit. Totam autem si fabulam perspicimus, propius stat goldonianus *Aleator Londinensi Mercatori*[4] quem gallicus poeta Saurin, nomine mutato[5], imitatus est. Cui imitationi præcessit goldoniana fabula, et hoc eo magis notandum est quod ambo scriptores rem tragice tractaverunt et incommoda nimia quæ ludum consectura sint spectatoribus ab hoc vitio deterrendis ostenderunt. Affirmari igitur potest, etsi quibusdam partibus nonnullam similitudinem in Regnardi Goldoniique fabulis invenias, revera Goldonium ceteris viam po-

1. Vide *Mémoires de Casanova* et *Mémoires d'un coureur d'aventures* (Luigi da Ponte.)

2. *La bottega del caffè.*

3. *Mémoires*, t. II, p. 70.

4. *The London merchant or The history of George Barnwell* (1731) auctore Lillo.

5. *Beverley* (1768).

tius aperuisse quam jam tentatam fuisse secutum, exemplumque iis tradidisse qui postea aleæ studium serio modo in scænam protulerint [1].

Nec enim in fabula, de qua agitur, hilares facetosque Regnardi jocos requirendum : nihil huic loco simile invenias, quo Hector, Valerii verna, ero suo L. Annæi epistolam de aspernandis divitiis legit, neque huic alteri quo magno fænore aleator sponsæ suæ imaginem pignori dat; stilus præterea goldonianus tam hebes remissusque est quam gallici poetæ validus ac comica virtute vibrans. Quæ quanquam notandæ sunt culpæ, quanquam et Florindus ad imum corrigitur omninoque mutatur, ejus indoles vera est et ad vivum depicta, sinceram aleæ dediti hominis effigiem præstans. Superstitiose enim fortunæ credit felicioremque semper redituram sperat ; cum lucratur, gaudet ; sorte adversa prosternitur ; noctem post insomnem nervis cedit defessis, nummisque amissis, iterum dominam amat ; de corrigendo vitio quæ cogitaverit, omittere statim festinat, cum in melius vertendæ fortunæ levissimam spem se cernere putat. Non idcirco credas tragicis coloribus in hac fabula aleæ studium semper describi ; in *Thermopolio* etiam, de quo paulo ante mentio facta est, validiorem hujus ardoris picturam invenire est, cum lusor quidam rem familiarem uxorisque dotem dissipet, miseram conjugem ad desperationem adducat, ab eaque fere contemnatur, quanquam amare eum non desinit.

Quod si aleis tantum commoveri ac perturbari declinantium leves animi Venetorum poterant, supererant etiam tum, rarissima quidem, validarum exempla indolum, quæ antea fuerant ; cui rei probandæ in testimonium afferri potest comœdia [2] veneta dialecto scripta, in qua, Molieri exemplo [3], præcipuam indolem ita multiplicare statuit Goldonius ut quattuor ejusdem diversa exem-

---

1. Exempli gratia : *Trente ans* ou *La vie d'un joueur.*
2. *I Rusteghi.*
3. Cf. *Les précieuses ridicules, Les femmes savantes.*

plaria promerentur. Qui « Rustici » vocantur, morum fautores antiquorum, uxores ac liberos antiquis regere legibus conantur, quibus tantum apud Romanos patria potestas valuit; fit autem ridiculum, cum hæc vetus morum severitas novæ tunc prævalenti facilitati opponitur.

Quam italici grammatici fabulam valde mirati sunt, eamque unus[1] recenti tempore *Benefico moroso* ipso præstare voluit. Hæc forte opinio stili lepore, qui peregrinos pæne omnino fugit, probari potest; quod ad rem ipsam pertinet, fateri necesse est quattuor « Rusticos » inter se nullo fere discrimine differre eademque esse indole, in jurgia scilicet erumpentes, morosos lætitiamque fugientes. Qui unus paululum ab aliis discrepat, Cancianus, a versuta uxore deluditur; etsi enim repugnat, conjugi docilis parere cogitur illiusque tolerare amatorem, illæsa, ut existimari debet, pudicitia, eademque mariti amicos convertere et faciliores reddere valet. Mutatur ita, finiente opera, personarum indoles, et, quanquam callidissima mulier effingitur, difficile tamen inconstantia tanta admitti potest, cum præsertim tres amicorum severo concilio paulo ante de pœna deliberaverint, qua uxores propter contempta jussa afficiendæ sint, atque una voce valide eas fustibus verberandas decreverint.

Ceteræ fabulæ, quibus indoles retractare Goldonius tentavit, leves tantum sunt adumbrationes, nimia celeritate delineatæ, ut *Mercator qui creditores fefellit*[2]. Exceptione tamen notanda, hujus comœdiæ personæ usque ad imum sibi constant : nec Pantalo enim meretriculam, cui inservit, dimittit; neque illa magno quæstu senum vitia fovere desinit; nec mercatoris uxor damnosis vestibus valedicit; nec Truffaldinus servus lenocinari dominosque

1. Nocchi, qui Goldonii comœdias delectas (*Commedie scelte*) edidit. Florentiæ, 1856.

2. *La banca rotta* ossia *Il mercante fallito*. Ct. *Grandeur et décadence de César Birotteau*.

furtis compilare cessat. Non minus tamen documento, quod ad mores pertinet, hæc fabula est : naturæ contra ac veritati propior, magis proficere nobis videtur, etsi absunt oggaņientis eamdemque cantilenam semper canentis auctoris sermones. Res ipsa, non verba, docet.

Minus veram nobis depingit indolem *Antiquarius* [1] qui plus æquo incredibili stultitia decipitur : lampada quamdam, quam in Ægypti pyramidibus inventam asserit servus Brighella, crepidam, qua Nero imperator calceatus pede Poppæam petiverit, Lucretiæ capillos a Tarquinio evulsos, dum vim pudicitiæ inferre tentaret, magno pretio emit. Faciliores isti ac nimis scurriles joci : quod quidem explicatur cum scimus hanc fabellam primum ex improviso recitatam, Brighellæque et Arlecchini partes edendo tantum operi scriptas fuisse.

De *Poeta fanatico*, de *Adulatore* ac *Prudente uxore* jam mentio facta est; in hac vero postrema fabula de zelotypia agitur, quem animi affectum a poeta non validius retractatum fuisse desideramus. Dives tamen vena erat, præsertim cum personæ inter civitatis optimates eligerentur. Ipse enim animadvertit in proœmio Goldonius vulgi homines sinceros ac feroces zelotypiæ sine pudore cedere, cum nobiliore loco orti decori magis parcant urbanitatisque legibus vexentur [2], tali discrepantia risu excitato. Poeta igitur vere comicus tam abundantem ridiculi fontem exhaurire non omisisset; felicior autem proposito quam effectu fuit Goldonius, qui materiam vix tentatam reliquit, nedum eam penitus effoderet.

Garrulum [3], tantum ut mentio non omittatur, memorabo,

---

1. *La famiglia dell'antiquario* o *La suocera e la nuora.*

2. Molierus ipse in sua *Uxorum schola* furiosum potius quam affectum continere conantem zelotypum hominem ostendit; exemplo melior fit Alcestes in Μισανθρώπῳ. Rem præsensisse videtur La Chaussée, nec tamen multo felicior in *Le Préjugé à la mode* Goldonio fuit.

3. *Il contrattempo* o *Il chiaccherone imprudente.*

quam fabellam, « minime ambitiosam, utilissimam autem hominibus imprudentiæ pericula monendis » scriptor prædicat. « Octavius enim, cui nec virtus, neque ingenium deest, inconsultis verbis alienoque tempore dictis fortunam perdit. » Ut in Molieri *Uxorum schola,* de persona agitur, quæ casus suos alii narrare properat, cui maxima cura idem tacendi essent. Quod autem venia dignum, dum ab adulescente inconsiderato fit, offendit, cum a sedatioris animi viro venit, quem magis cavenda fortuna deceret et qui excusatione simul ac misericordia caret.

Prodigum juvenilibus annis primum compositum iterum scripsit Goldonius, ante quam eum cum ceteris operibus edi sineret. Qui patriæ scænam corrigendam suscepisset, vitiosos mores, quos olim admiserat, jam non ferens factique antea pœnitentem se confessus, quidquid bonis, austerisque immo, grave esse posset, aut delevit, aut mutavit. Non crudæ igitur, aut acres quærendæ sunt in hac fabula imagines, nam, dum « honestis piisque hominibus » placere studet scriptor, languescere paululum vena videtur. Nihilominus attentione dignum est nonnulla hoc opus, quia unum nos ex vitiis docet, quæ pro parte, ut Venetiæ declinarent in pejus, effecerunt, quorumque adhuc effectus cernere est. Cum enim videmus palatia, olim a summis artificibus exstructa, in cauponas mutata peregrinos tectis excipientia, divitiisque famosam urbem in municipium quoddam inter multa redactam, non tantum ineluctabilem omnis humanæ rei sortem dolemus, verum etiam quam periculosum sit docemur solida damnosis cupiditatibus eruere.

Rem simul prodigit goldonianus heros, quia generosus, quia fastum amat, nec satis sua negotia curat. Illius patrimonium procurator, domini modo, gerit verique patroni jussa servi detractant; causidicum, qui eum litem obtinuisse nuntiat, magni pretii anulo donat, quem domina, ut pretiosiorem, accipere

1. *Il prodigo.*

negaverat, cumque, sententia mutata, sibi gratum fore munus antea repudiatum illa declarat, desperatus noster sororem rogat ut, quem ipsa habet, anulum sibi det, ac paulo post, cum donum a sponsa iterum abnuitur, rem ægre ferens, anulum dat ancillulæ. Reditus tamen pignori sunt obligati nescitque prodigus quomodo nummos requirere possit, quibus festa convivia theatraque sponsæ promissa in villa apud Brentam paret; nimiam illius quisque ridet facilitatem, nec tamen ea abutendi occasio ulla omittitur. Hominis tandem soror virginem hæsitantem, ut ei nubat, inducit ea conditione ut viri rem ipsa administret eumque propria injuria defendat.

§ 2. — *De fabulis quæ ad mores pertinent.*

Medium tenet hæc fabula locum inter comœdias, quæ indoles, et quæ mores retractant. Prioribus proxima est quod exemplum generale, posterioribus autem, quia vitium effingit ætati ac loco cuidam proprium. Putarunt et nonnulli quidem virum Goldonium depinxisse, qui ipsi favisset; nec rem hic moleste tulit.

Melius etiam in *Thermopolio*[1] Venetorum mores medio decimo octavo sæculo illustrantur. Actio in compitis quibusdam agitur, quæ nunc « campiello » vocant, et quæ frequentissime in artarum viarum flexibus invenias. Ibi thermopolium, aleatorium, tonsoris officinam atque, haud procul, saltatricis domum cernere est, quo conveniunt otiosi, amatorculi, æruscatores et quicumque istiusmodi Sancti Marci porticus frequentabant. Coeunt omnes, abeunt, de negotiis loquuntur, aut ad voluptates festinant summo impetu, alacritate, ardore qui spectantem rapiunt levibus occupatum imaginibus: tabulam videre credas a Canaletto depictam, cujus personæ post sæculum elapsum resurrexe-

1. *La bottega del caffè.*

rint. Ex quo fit ut ad summam res vivida ac pæne recens appareat; itaque hodie etiam fabella illa populum quam maxime delectat ac peregrinis hospitibus verissimam scriptoris ingenii imaginem fingere potest.

Minus vero mihi placet *Villa rustica* [1], qua Goldonius rarum quidem sua ætate in Gallia ridiculum, in Italia autem frequentissimum, depingere conatus est. Vindemiarum enim tempore, urbe derelicta, quisque, cui pater et res, rus petebat, non otiandi aut terræ fruges colligendi, sed voluptati indulgendi causa; de vestibus, conviviis, omnimodo festivitatibus cuncti contendebant, quorum ad sumptus suppeditandos fundi creditoribus oppignerabantur, præbitoribus debita non solvebantur, multæ tolerabantur contumeliæ; nonne autem ante omnia decori parcendum erat vicinique obscurandi ? Hoc tantum constat *Villæ rusticæ* materia num Leonardus ejusque soror Victoria modum inveniant quo rus ire queant; num propola, pecunia non numerata, cibaria vendat; num vestiarius, obstricta tantum fide, novam vestem tradere velit modo gallico confectam, qua induta, invidia rumpendam Victoria sperat amicam Hyacintham, se ipsa ditiorem. Paulum quidem res spectatorem detinet, neque actionem languescentem sustinere valet.

Ad altiora tendunt duæ aliæ fabulæ [2], quæ fere eamdem materiam tractant, imaginem fingentes exquisita urbanitate viri, qualis in auctoris mente species insidebat, eoque dignior illa est quæ inspiciatur, quod post duodecim annos primam adumbrationem novis lineamentis poeta correxerit. Cum in *Commentariis* de tali viro loquitur, hunc multis dotibus ornat : probum esse dicit, officiosum, munificum, nec prodigum; lætum, non

---

1. *Le smanie per la villegiatura,* prima pars Τριλογίας, cujus aliæ sunt : *Le avventure della villegiatura, Il ritorno dalla villegiatura.* Eamdem materiam tractavit scriptor in *La villegiatura* et in *I malcontenti.*

2. *Momolo Cortesan,* o sia *L'uomo del mondo* (1738); *Il cavaliere di buon gusto* (1750).

petulantem; mulieres cum pudore amantem; voluptatibus indulgentem, vitato patrimonii exhauriendi periculo; quietis amantem, nec tamen decipi se patientem; omnibus affabilem, cum paucis amicissimum, atque humiliorum patronum studiosissimum. Talem vero definitionem non persona totam implet; non tantum enim magnificus homo est, sed etiam prodigus; peregrinum quemdam ex impedito quidem mutua pecunia expedit, sed qui venustam habet uxorem, neque, ut videtur, nimium severam. Virginem contra, quæ illum amat, ducere dubitat, ne libertati valedicat; amica etiam utitur humillima stirpe orta, cujus frater insignis nebulo pigerrimusque sororem quæstu producit, ac se novo more vestibus indutus magnificum virum facit.

Eamdem igitur materiam parum exacte prius tractatam iterum aggressus est, mutato titulo, Goldonius. Nondum tamen Gallia visa, ignorabat, ut ipse confitetur, quid revera esset « Il cavaliere di buon gusto ». « Hoc verbo, in Gallia, ait, virum designari credas litteris atque artibus imbutum et exquisito judicio; Italus contra, quem in fabula mea effingere sum conatus, fortuna mediocri rationem inire valet quemadmodum amœnam domum, delectos servos, excellentem coquum habeat et apud homines, neminis damno ac nullo rei familiaris impeditu, dives videatur. »

Humiliorem, hercle! hanc honesti viri speciem esse conveniendum; litterulis quidem tinctus est Octavius ac scribæ cuidam suo ab epistolis, qui e variis scriptoribus excerptis otium colligendis occupat, per occasionem consilia dat; res autem illa extra argumentum assumitur; nam poeta nobis hominem præsertim in rebus ostendere intendit quæ ad commercium cum mulieribus pertinent. Quadragesimum quidem annum Octavius excedit, sed acre illius ingenium, elegans habitus, vivendi consuetudo optima, ac cum feminis lepidissimus sermo. Quod si voluerit, inter duas ætati suæ convenientes viduas alteram eligere poterit uxorem; immo, virgo quædam, illius nepoti sponsa, avunculum se præferre non dissimulat. Quem Pantalo quanquam

hortatur ut justas nuptias contrahat, libertatem amittere Octavius negat; placere illi satis est, nedum matrimonio jungatur. Nepotem igitur consiliis docere præfert, et cum rudis etiam tum timidusque sit adulescens, illius loco loquitur avunculus, ac benigne auditus, hunc tali ex auxilio utilitatem percipere sinit.

Lepidissimæ comœdiæ[1] hæc materies erat, si oppositum fuisset quid speciosi, maturis annis comparatum, quid auctoritatis habeat vir qui ad summos honores pervenerit, simpliciorque adulescentuli gratia. Assequi videtur Goldonius quantum ex hoc trahi possit, cum virginem Rosauram in Octavium inclinantem ostendit; nec vero tali proposito insistit, atque ætatis suæ morem secutus, adulescentes connubio jungit. Ceterum scriptori necesse videbatur heroem suum amoris insidias vitare, nec talibus indulgere nugis.

Hoc titulo « *Fastidiosarum feminarum*[2] » ne decipiamur. Plus præstat quam promittit illa comœdia, quæ plebeios nobilitati invidentes producit, optimatumque tamen in familiaritatem sese admitti cupientes. Ibi cernere possis ditatos homines, humili loco ortos, nummis primores conveniendi facultatem ementes; patriciorum, eversis fortunis, aviditatem simul superbiamque, secretam autem indulgentiam, cum a suis se non adspici putant. Nonnunquam immo validis crudisque coloribus res illustratur, præsertim cum comes Onophrius, inexspectata fortuna usus, dum domini laute in triclinio convivantur, cum coquis, nullo pudore, ventrem implet longaque jejunia reparat, tanto opus esse apparatu non intelligens ut fames satietur.

Omnes ita ordines ante oculos vicissim exponuntur. Optimatum autem ridiculis, non bene sibi notis, minus poeta insistit quam humiliorum, quibuscum familiariter vixerat. Scænicæ præ-

---

1. Cf. *La pupille* a Fagan et *Der Mann von vierzig Jahren* a Kotzebue. Vid. etiam *Margot* recentissime Lutetiæ in Gallico theatro recitata.

2. *Le femmine puntigliose.*

sertim gentis vana superbia illi opus totum[1] præstitit, istiusque modi homines frequentissime in aliis comœdiis, ut adventiciæ personæ, admiscentur, exempli gratia in *Obediente filia*[2], quod quidem cum flebili ceterum fabula non satis apte componitur, actoris tamen imagini nec vigore, nec comica virtute deficiente.

Brighella, quondam Pantalonis servus, auxilio filiæ, quæ saltat multosque amatores et magnificos habet, dives evasit. Contubernali suo Arlecchino, qui servire non desivit, candidiore ostentatione supellectilem venditat pretiosam, quam post multa itinera retulit, ac præcipue argentea vasa, nam aliis non jam utitur : omnia apud eum argentea, vel ea quæ sunt usus vilissimi. Itaque Brighella nimiam hujus, qui sibi conservus fuit, familiaritatem cito componit seque « ornatissimum amplissimumque virum » vocari jubet. Ipse patriam abdicavit dialectum, qua Bergomates colloquuntur, ut tusce, optimatum modo, confabuletur. In deversorio regium quemdam comitem, Octavium nomine, invenit, morosissimum hominem, cui tamen valde placet saltatrix, Brighellæ filia. Non tam stultus iste est, ut incaute erga tantum virum ab officio et observantia discedat ac secreta cum filia colloquia disturbet. Etsi superbus est, de repulsis minime curat, quæ sibi tolerandæ sunt ; eas etiam velut a familiari accipit lepidosque jocos esse dicit, talia sibi quæstui fore satis intelligens.

§ 3. — *De popularibus comœdiis.*

Omnium autem goldonianarum comœdiarum, eæ attentione, ut opinor, dignissimæ sunt quibus populares mores retractavit scriptor, optime quidem sibi notos, qui, dum adulescens, cum plebe in Chioggia insula familiariter vixisset. Adde quod hujusmodi fabulæ spectatores quam maxime alliciebant maximumque

1. *L'impresario delle Smirne.*
2. *La figlia obbediente.*

quæstum poetæ afferebant. Cymbularum præsertim, quæ Venetiis « gondolæ » vocantur, rectoribus in tali materia opinione major auctoritas erat.

— « Nobis cum placet quædam comœdia, ait in *Honesta virgine*[1] unus ex his nautis, res scriptori prospere semper succedit, nam si contenti e theatro excessimus, ubique dictitamus : « O pulcherrimam fabellam, visuque mirabilem ! » et cum plaudimus, ex omni parte fremitus quidam excitatur. »

Tranquilliores autem manebant equites altis in sedibus, unde nullo pudore in plebem infra considentem nonnunquam respuebant, dum illa collisis manibus plaudebat. Cujus igitur favorem sibi conciliare, studiis opinionibusque indulgendo, conabatur Goldonius ; simul et extemporalis comœdiæ memoriam abolere intendebat, cujus antea plebeii fautores manifestissimi fuerant.

Nec primus tamen populares fabulas in Italia Goldonius expertus erat ; septimo enim decimo sæculo, Michael Angelus Buonarottius, celeberrimi artificis nepos, singulari occasione, duas comœdias, quibus *La Tancia* et *La Fiera* tituli, scripserat a grammaticis italicis inter « rusticas fabulas[2] » numeratas. Narrat Barettius, cum nescirent Academici « della Crusca » quibus ex libris usitatissimorum, rarissime autem scriptorum, et humillimarum artium usus significantium exempla verborum sumerent, composuisse fabulam quamdam Buonarottium, quinque diversis actionibus constantem, quarum quæque usque ad quintum actum produceretur, operique titulum imposuisse : *La Fiera*, e loco sumptum (foro) ubi res ageretur. Quæ fabula Florentiæ, principis sumptibus, per quinque continuos dies recitata fuit et, cum scriptor purissimo sermone tusco usus esset, ibi abundantissimum usurpandorum exemplorum fontem Academici invenerunt. « Sic primum, ut ait Quadrius, norma exemplo præ-

---

1. *La putta onorata*. Act. III, sc. 14.
2. Commedie rusticali.

cessit. » Idemque fuit alterius fabulæ, cui *La Tancia* titulus, propositum.

Qua ipsa ratione hæ duæ « rusticæ comœdiæ » non revera populares videntur fabulæ, potius autem eruditorum hominum ludi fuisse, nec cum goldonianis comœdiis conferendæ. Quæ postremæ magis ad plebem spectant, illius sermonem affectant ac vivis popularium morum imaginibus redundant, singulari vigore plebeiorum affectus motusque exprimentes.

In *Beneficiario cliente*[1] adulescens nobilis, beneficii sui possessionem sumpturus, venit. Incautus, ut ejus ætatis est, novæ dignitatis jus arbitratur jucundissimum blanditias vernaculis feminis, sine rivali, dicere posse; mariti autem patresque non eodem modo rem intelligunt. Ceccus, cui venusta Ghitta conjux, quattuor jam adulteros occidit factaque ista gloriose prædicat, nec quintum prioribus addere dubitet, si sententiæ credendum, quam in concilio profert, cum inter amicos deliberatur quid de adulescente marquione agendum sit, ut illius nimium amatoria consilia cohibeantur. Mitiores autem Nardus Pasqualottusque incendio tantum castellum conflagrandum, aut protervum juvenem eodem modo, quo agnelli verveces fiant, afficiendum esse censent.

Feroces scilicet natura hujusmodi homines, nec satis animi compotes, ad pugnam cruoremque fundendum semper parati sunt, feminæque non multum virorum dissimiles[2]. Cæsorum ultio, quam dicunt « vendetta » compositumque de homicidio pretium more apud italicam plebem adhuc vigent, et res in Corsica insula præsertim bene nota. Proximus agnatus, cæsi ipse pater in *Optima uxore,* promptum se ad pacem pangendam declarat[3] solennique ritu, testibus inductis, in concordiam inimici

1. *Il feudatario.*

2. Audiamus Lucretiam in *Le donne gelose* (Act. II, sc. 21). « Stè in drio, che fazzo sangue ! » Vide etiam *Le baruffe chiozzote* (Act. I, sc. 3).

3 *La buona moglie.* Act. III, sc. 14 : « Mi, che so pare del morto, ghe darò la pase. Quei de l'ostaria i sarà testimoni che lu xè sta el primo a dar. »

redeunt : tantum valet eo modo ictum fœdus quantum si a regibus aut legatis pactum fuisset. Convicia omittam quæ, Homeri heroum more, ex utraque parte mira frequentia atque ubertate proferuntur[1].

Non longum tamen, nec post primum temporis momentum inveterans odium; de viatore captando nautæ summo clamore cum alii in alios vehementissime invecti sunt[2], in tabernula subito compotores facti de homine sic loquuntur :

— « Hujus modi peregrini, venetum sermonem qui nesciunt, psittacos imitantur. Nos autem amici sumus, quanquam, occasione data, famæ cupidine ante patronos nulla ira tumultuamur[3]; terra tamen fraterculi sumus, nam canis caninam non est, ut aiunt. » Narrant vero quod quoque fere die naviculas ducentibus evenit, occultos civitatis amores, maledicuntque de avaris, qui, nummis parcendi gratia, « canum iter sequuntur[4] ». Interdum et suam artem laudant, quam a parentibus traditam longa sæculorum serie exercent[5] : « Nos, cymbulæ rectores, collegium facimus cui non alterum simile in toto terrarum orbe. Publici servi quidem sumus, sed nobilis ars nostra est, nec quæ manus inficiat. Secretissima familiarum novimus, nec timendum est ne unquam ea tradamus. Largum ob nostrum lucrum, res familiaris bene se habet et nobis apud mercatores optima est fides. Neminem unquam prodidimus, famaque est nobis salsorum facetorumque hominum, arguta et acuta respondere assuetorum. Patriam præ-

1. « Ah ! sporche, frascone, pettegole, quante che sè ! — Matte, zelose, inspirtae, brutte ! — O ! siestu maladetta ! — Aveu sentio co sboccaizza ? etc. » Hæc a feminis exprobrantur (*Le donne gelose,* Act. II, sc. 21). Qui scire velit quam sit probris inveniendis ingeniosa Italorum mens, ille legat *Le baruffe chiozzote* nonnullasque scænas in *La putta onorata* et *La buona moglie.*

2. *La putta onorata.* Act. II, sc. 21.

3. « Bisogna de le volte criar per reputazion, siben che no se ghe n'ha voggia. » (*La putta onorata.* Act. III, sc. 12.)

4. Id est pedibus, nec cymba, utuntur.

5. *La putta onorata.* (Act. I, sc. 18.)

sertim constantissime colimus, pro qua sanguinem totum demus, nec homines totius terrarum orbis timeamus, si necesse sit Venetias nostras defendere carissimas, quæ maris imperium tenent. »

Grandiloquos forte dicet aliquis miseros istos nautas, nec naturam decentia verba scriptorem illis præstitisse : tamen hodie etiam quam vera sint perspicere est ; tantum enim inter se distant veneti cymbularum rectores nostratesque aurigæ, quantum subsiliens nostras per vias rheda levisque pallidas Adriatici maris aquas perlabens navicula. Gœthius, qui *Chiozzotas disputationes*[1] in theatro, cui Sancti Lucæ nomen, viderat, se tandem italicam comœdiam audisse profitetur, fabulamque accuratissime narrat, quam certissimam dicit esse popularium morum imaginem, cum plebs omnis insulæ Chioggiæ nautis aut nautarum filiabus, uxoribus sororibusve constet. « Dum se tam exacte ex vero effictos videbant spectatores, addit germanicus poeta, nec bonis, nec malis etiam dotibus omissis, id est tam vividos ac rixosos, faciles et abjectos, incredibilem lætitiam ostendebant, cachinnantesque ac tripudientes a principio usque ad finem eos perspexi. »

Non spernendus quidem his verbis significat testis quantum populares Goldonii fabulæ plebi placuerint, illudque testimonium retinendum est, cum de scriptore italico judicatur. Quod si exacta ratione dispositam, gallico more, fabulam ab eo petiveris, te spes plerumque fallet ; sin autem in illo verum Venetiarum poetam inspicies, si hoc molli sermone, quem apud eum lepidum atque facetum invenies, familiariter uteris, si propriis oculis depictos mores videris, neminem veritati propius accessisse fatebere.

Non italicus enim, ut vera dicam, poeta Goldonius fuit, quem

1. *Le baruffe chiozzote* (*Commentarii* — De itinere per Italiam. Die 10 mensis octobris 1786).

semper aut humanum, aut venetum reperias; nam is modo, ut plerique ejus ætatis scriptores, unicolora, nec temporibus, nec locis distinctis, pingit, modo autem homines vi summa vigentes, sed in artissimo quodam circulo, profert. Hunc igitur æqua lance pensitare non possis, nisi prius illius venetas comœdias noveris, quarum nonnullas ipse « venezianissime » appellat [1]. Culpam ipsam, sæpius admissam, cum comœdiam corrigere vellet, talibus in fabulis vitat : ibi enim nunquam declamantem eum invenias, sed honestatem sine tædio, veritatem sine ampullis, naturam ipsam spirantem, aliquandoque nudiorem vel simpliciorem, semper autem sinceram cernere possis. Eo magis sane, quod ad mores emendandos pertinet, sic proficimus.

§ 4. — *De plebeiis tragœdiis comœdiisque seriis.*

Quanquam hujus modi fabulæ comœdiarum titulo designantur, nonnullæ potius seriæ sunt atque illi proximæ generi, quod, decimo octavo sæculo vicissim « seria » vel « flebilis comœdia », aut « plebeia tragœdia » vocatum est. Diderotus, ut sciunt, hanc novitatem primus professus est; quando autem tale quid in mente humana ortum est, simul ubique evolvitur, salva differentia quæ singulorum virorum vel gentium ipsarum variis studiis constat.

Diversiora enim ingenia quam Diderotì Goldoniique reperire haud facile queas : ille, ante omnia speculator, magna vi de principiorum, non semper bene certorum, consequentiis ratioci-

1. In fabulæ procemio, cui *Le donne gelose* titulus. Quæ hujus generis maxime valent sunt quæ primæ editæ fuerunt : *La putta onorata* et *La buona moglie* (1748). Memorare etiam possim : *I pettegolezzi delle donne* (1751); *Le donne gelòse* (1752); *Le donne di casa soa* (1755); *Le massere* (1755); *Il campiello* (1756); *I morbinosi* (1759); *Le baruffe chiozzote* (1760); *La casa nuova* (1761); *Sior Todero Brontolon* (1761); *I rusteghi* (1761); *Una delle ultime sere di carnevale* (1762).

natur, ipso autem in opere infirmior; Goldonius contra naturam sequitur, molliorem quidem interdum et detritam, in vita ipsa fingendarum imaginum materie tantum sumpta. Generalia prior affectat, genera miscere ac conditiones in locum indolum substituere intendens; disceptator enim ac logicus præsertim est; Goldonius, ut notissima Molieri persona, et nescius « vulgarem tragœdiam » colit, cumque circum se « injustas novercas, adulescentes deliciis solutos, eorumque vitiis indulgentes præceptores viderit[1] », diversa hæc omnia colligit scribitque *Patremfamilias*[2], quæ fabula ejusdem tituli Diderotì seriam comœdiam octo annis antecessit[3].

Unum nihilominus inter duo opera commune invenies, scilicet domesticæ vitæ eventus serio tractatos animique affectus vulgari actione excitatos. Ceterum goldoniana fabula mentione, tituli tantum causa, digna est: insigni enim imbecillitate viam tentatam secutus fuit italicus poeta, ob modestiam vero laudandus, qui primum titulum electum: « Patrum Scholam » mutaverit, quod « summorum magistrorum tantum est, ut in *Commentariis* ait, talia exemplaria ostendere ».

Eo præcipue, ut videtur, ad novam disciplinam de plebeia tragœdia sequendam impulsus est Goldonius, quod hujus generis fautores sibi corrigendos mores summum opus proponebant, quæ res mire cum proprio nostri consilio congruebat. De quo non jam dubitabit, qui *Tutorem*[4] ejusque fabulæ proœmium legerit :

« Hominum opinio erat, ait Goldonius, tutorem meum infidum fore, pupillorum rem direpturum, tandemque castigatum iri. » Longe autem alia scriptoris intentio erat. Mala exempla, quæcumque conclusio erit, spectatorum oculis nunquam proponenda

1. *Mémoires*, II, 101.
2. *Il padre di famiglia.*
3. *Il padre di famiglia* (1750); *Le père de famille* (1758).
4. *Il tutore.*

profitebatur, nam « antequam furis pœna videatur, illius fraudibus diu contemplatis, artem mirati sunt homines, qua rapere furtaque dissimulare potuerit et, si a theatro, nondum exacta fabula, exieris, rapinæ disciplinam, nec furti castigationem videbis ».

Quo quidem consilio compositus *Tutor* non arte sua ad retinendos spectatores fidentem poetam monstrat; itaque diligentissime, ne vel uno temporis momento levissima mali species ostenderetur, cavit. Qui præcipuas in hac comœdia partes agit, sollicitus, diligens, utilitatis suæ immemor, tanta cura officium suum gerit, ut pupillam uxorem filio dare neget, quia largius dotata est, quanquam ipse patrimonio caret, ad tuendam dignitatem in hac re forte etiam acrior.

Diderotum etiam præcessit Goldonius, cum in scænam diversas hominum conditiones protulit; naturæ autem quodam instinctu, reique scænicæ usu peritior, gallico philosopho prudentior fuit. Quanquam enim Goldonii personæ certam conditionem in nonnullis fabulis proponunt, propria tamen indole induuntur. Si mercatores, probi sunt aut nimium quæstuosi; si patroni, clientium jura bona aut mala fide defendunt; si medici, artem suam noverunt aut ignorant; in quo vera ratione poeta utitur, cum mente fingi non possit conditionem quamdam ab hominibus abstrahi, nulla diversitate inter viros qui ejusdem sint collegii ; natura enim duos homines non effinxit qui, vel artem unam exercentes, omnino sint consimiles scænaque naturæ tantum, ut ita dicam, imago esse debet animata.

Inter plebeiorum conditiones, quam potissime elegerunt qui decimo octavo sæculo scænam corrigere tentaverunt, mercatoris fuit, eodemque etiam cum gallicis scriptoribus Goldonius concurrit. Mercaturam quidem laudare Italiam præsertim decebat, qua Medicorum gens ad summos florentinæ reipublicæ honores pervenerat, maximas pecunias confecerant Longobardi, medio

ævo Judæorum æmuli, Genuaque ac Venetiæ ipsæ in multas terras imperium extenderant, merces facilius extrusuræ.

Jam in priore fabula[1] præcipua Goldonii persona mercator fuerat; in *Mercatoribus*[2] autem de re ipsa mercatoria agitur totaque fabula hoc uno pendet. Ibi enim præcipue nobis proponuntur fortuiti casus, quibus mercatoris animus angitur, pericula timenda ac bonæ spes, quæ vicissim eum agitant. Pantalo, Venetus origine, probus reique suæ intentissimus, fortunam atque existimationem prope perditurus est, quia filii dissoluti, aleatoris, furacis etiam vitiis nimium indulget, eique opponitur alter mercator, Batavus gente, sedatissimo animo, sed erga amicos officiosus, quanquam utilitatem suam non omittit. Magis placet quidem Pantalonis liberior indoles; ejus autem nimia facilitas et ipsi et filio nocet, quo morigeri patres utiliter doceri possunt; nunquam enim morum corrigendorum obliviscitur poeta.

Venetus causidicus[3] plebeiæ tragœdiæ, quæ conditionibus in scænam prolatis constat, insigne exemplum proponi potest. Cujus fabulæ præcipuus actor in provinciale quoddam municipium causam defensurus arcessitus, Rosauram, clientis sui adversariam, in conventu visam, deperit; sed ut muneris officium decusque proprium servet, causam susceptam relinquere negat, litem immo obtinet dominamque ita exanimat. Damnum tamen, quod præter voluntatem fecit, Rosaura uxore ducta reique suæ participe facta, reparat.

Offendit in plerisque hujusmodi fabulis nimia atque affectata animi mollities, hac ætate in litteris prævalens pestilentia, contagio quodam singulari, quod tunc Europam totam invaserat. Quanquam extra Italiam ortum, in peninsula brevi percrebuit sæviitque a Metastasio usque ad Goldonium abbatemque Chia-

1. *La banca rotta* (1740).
2. *I mercanti* (1753).
3. *L'avvocato veneziano.*

rium; evanuit tantum, adjuvantibus Parinio Alfierioque, cum antiquus status novis rebus mutatus est. Usque enim ad id temporis non minus putidarum molliorumque sententiarum amantes Itali fuerunt quam Galli, Germani aut Britanni, omniumque voluptatum cupidi Veneti et lacrimarum dulcedinem plenius degustabant, cujus rei permultas occasiones civibus suis præbuit Goldonius. Plaudentibus spectatoribus, Pamela[1], flebilis Richardsoni filia, et in Sancti Lucæ scæna castum dolorem ergaque eri sui filium amorem ostendit, cum Voltarii *Scotam*, non satis, ut videtur, gallici scriptoris proposito intellecto, in lacrimabilem quamdam fabulam Goldonius mutavisset[2]; multa ejusdem generis scripsit[3] noster, de quibus, ut quam maxime ei faveam, tacebo, ne dicere cogar quantum judicio caruerit, quam contorte affectus moverit, quam veri dissimilia prodiderit, quam vacuus in indolibus tractandis fuerit.

§ 5. — *De ceteris operibus.*

Idem confitendum est de nonnullis fabulosis comœdiis, quarum materia plerumque a gallicis scriptoribus sumpta, aut quæ, cum poetæ propriæ sunt, nimiam intemperantiam testantur[4]. Si qua tamen exceptio fieri potest, *Persicam uxorem* proponam ceteris ejusdem generis fabulis anteferendam, quæ tribus[5] comœdiis con-

---

1. *Pamela* (1750). Ejus fabulæ personas in alia comœdia, cujus eventus priori continuantur, reviviscentes protulit Goldonius (*Pamela maritata*). Eamdem etiam materiam cantibus ornandam retractavit (*La buona figliuola*, dramma giocoso per musica).

2. *La Scozzese.* Vid. *Mémoires*, t. II, p. 351.

3. *La serva amorosa, La moglie saggia, La figlia obbediente, La donna bizarra, La donna forte, L'erede fortunata, La madre amorosa, Gli innamorati*, etc.

4. *La bella selvaggia, La Dalmatina, Il genio buono e il genio cattivo, L'incognita perseguitata*, etc.

5. *La sposa persiana, Ircana in Iulja, Ircana in Ispahan.*

stat, versibusque contra nostri consuetudinem scripta est. Orientis etiam coloribus variare fabulam tentavit Goldonius et cantu ac magnifico apparatu spectatoribus placere; asiatica autem pompa et rerum agendarum obsoleta ratione abutitur, homicidiis, fugis, variisque miraculis languescentem auditorem excitaturum se existimans.

Goldonianarum fabularum, quæ præsertim in implicatis eventibus consistunt[1], mentio jam facta est; permultas hujus generis comœdias scriptor edidit, quæ maxime suum ingenium decebant. Tragœdiam ipsam[2] aggressus est, tirunculus etiam tum viribusque suis nimium, ut videtur, fidens. Sed quid prodest de talibus diutius disserere, quæ fecundiore vena, sine labore, nec multa etiam spe orta, celerem in oblivionem ire justo fato debebant, et quæ primus ipse poeta enumerare non valuit omnia, cum in *Commentariis* operum suorum indicem dedit? Horum nomina lector in appendice inveniet, quæ hunc librum sequitur; nihilo enim majore quam mera mentione digna sunt.

---

1. *I due gemelli veneziani, Il servitore di due padroni, Il figlio di Arlecchino perduto e ritrovato, La vedova scaltra, La locandiera, L'osteria della posta, Il raggiratore,* etc.

2. *Griselda, Belisario, Enrico re di Sicilia, Rinaldo di Montalbano, Rosmonda.*

VI

QUÆ SINT PRÆCIPUÆ GOLDONIANÆ PERSONÆ

DE VIRIS.

Plerasque goldonianas personas jam novimus, quibus, antiquis extemporalis comœdiæ nominibus servatis, nova indoles tributa est. Ita Pantalo, venetus mercator, qui antea ridiculus morosusque senex persæpe erat, in nonnullis fabulis animos movet, admiratione immo dignus est. De illo tunc idem dici potest quod a Flacco in celeberrimo versu :

Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

Exemplum afferre possim *Bonam uxorem*[1], in qua, cum filii flagitiosam vitam audiverit Pantalo, ad adulescentem cum amicis perpotantem acri voce increpandum venit et sic loquitur ut a Voltario Goldonium « naturæ filium » vere appellatum confitendum sit ; quantumvis enim validi sint affectus, non declamitat heros, ut Diderotí « Paterfamilias » ; nihil nimii, nihil affectati in illius verbis invenias, veram autem eloquentiam, e pectore proruptam pectorisque viam apud audientes facile reperientem.

Nec rara sunt talia exempla, cumque etiam Pantalo præcipuas partes non tenet, sæpissime eum invenias probum, facilem, peritum mercatorem, bonum, quanquam interdum molliorem patrem, tutelam exactissime gerentem, proximis succurrentem,

---

1. *La buona moglie,* act. II, sc. 5.

controversiasque sedantem [1]. Nonnunquam tamen dissolutus senex ostenditur [2], contemptumque sed fructuosum meretriculis ludibrium.

§ 1. — *De juris consultis.*

Quem contra « doctorem » vocant, antiquum morem fidelius servat. Avarus enim res turbidas peritissime quæstui sibi vertit, litesque illi fiunt veræ possessiones, prætoriis interdictis protectæ. Talis est doctor « Buonatesta [3] », qui miseræ cujusdam mulieris, opibus eversis, exsulantis jura cum defendere promiserit, unumquemque assem, quem illa ab amicis, misericordia permotis, acceperit, rapit et ad imum e civitate agitur « quod suspectam magistratuum æquitatem fecerit ». In alia fabula [4] doctor « Melanzana » comitem Heraclium servandam docet fortunam, antiquiore die filiæ nuptiali pactioni adscripta, cui virgini in dotem dicuntur ædes pigneraticiæ, solæ dilapsarum opum superstites.

Doctoris vero Balanzonii [5] nequitia virtus officiosi Pantalonis clarius illustratur. Quo magis enim hic lites componere studet, tanto acrius ille animos exulcerare conatur; immo, timens ne solus rei impar sit, auxilium petit nepotis sui cujusdam, « docti severique viri » resque non ex illius sententia successerit, si, tali fœdere pacto, aliquid miseris clientibus superstabit.

Fortunatæ heredis [6] materia tota lite quadam constat, quæ, singulari testamento facto, agitur. Summopere res doctoris ipsius interest, mirandumque esset nisi solertia, qua præditus est, adversarios deludere tentaret. Ea tamen ipsa solertia decipitur,

1. *La famiglia dell' antiquario — I puntigli domestici.*
2. *La banca rotta.*
3. *Il cavaliere e la dama.*
4. *Il raggiratore.*
5. *I puntigli domestici.*
6. *L'erede fortunata.*

quippe qui ceteros utilitatem suam negligere suspicari non possit, et transactionem facit, qua partem perdit hereditatis, sibi certe, ut arbitrabatur, deventuram.

Injuria tamen de Goldonio conquererentur forenses, quorum artem summis laudibus poeta extulit in *Veneto causidico*, de quo jam mentio facta est. Causas enim scriptor ipse, Venetiis primum, postea Pisis dixerat forique callidiora inventa penitus noverat, quibus et in fabulis, ubi ea non sine miratione invenias, alludit. Ita in *Prudente viro*[1] capitis lis exponitur, quæ eadem est ac causa quædam celeberrima a Goldonio apud Tuscos perorata, cum Pantalo, quem filius ejusdemque noverca veneno interficere tentaverunt, reos ipse in judicio defendit, ut familiæ decus servetur. Docte arguteque loquitur, dum delicti corpus abesse, deesse argumenta, delatores accusationem retractasse ostendit[2]. Nec hoc uno loco jurisperitus noster apparet[3]; plurimis enim in fabulis res forenses in pulpita protulit, se legum scientiæ non minus quam scænæ peritum esse ostendere cupiens.

§ 2. — *De medicis.*

Medicos etiam pernoverat, qui et ipse medici filius esset; sed ea forte ratione, Molieri exemplum non secutus, medicæ arti pepercit. Cum Molierus enim minus commoda valetudine laboraret, suæque ætatis[4] medicis vitio verteret quod ipsum sanare nequirent, Goldonio contra medicina valde probanda erat, qua

1. *L'uomo prudente*. Vid. *Mémoires*, t. II, p. 6.

2. Act. III, sc. 19.

3. Vid. in eadem fabula (Act. II, sc. 14) quid de filiorum familias obligationibus dicatur ; in *L'avventuriere onorato* præcipuam personam clienti jus promentem ; in *I due gemelli veneziani* de furto quodam inquisitionem institutam ac præsertim *La donna di garbo* (Act. III, sc. 7), ubi a virgine quadam causa tota peroratur.

4. Vide *Les médecins au temps de Molière* a Raynaud. Lutetiæ, 1862.

arte pater vixisset et ipse, cum melancholia ægrotaret[1], remediis indictis morbum depulisset. Sive in *Commentariis*, sive in fabularum procemiis medicos quosdam laudibus effert, qui et in Italia et in Gallia ipsum curaverant. Adde quod homo natura minime ferox erat; res ut se habebant libenter pergere sinebat et, cum litteræ commendaticiæ certis hominibus a magistratibus datæ sunt ut ægrotantibus publice succurrant, principibus injuriam facere se existimasset, si tali auxilio uti negavisset.

Itaque medicis nulla datur in goldonianis comœdiis ad reprehendendum causa. *Batavi medici*[2] præcipua est persona celeberrimus Boerhavius, qui eodem remedio ægrotum curat, quo ipse Goldonius melancholia sua fuerat expeditus, id est a morbo mentem avertere conando. Comœdia, cui *Virgo quæ se ægrotam simulat*[3] titulus, nihil aliud est quam verus medicæ artis panegyricus. Ibi contra Molierum adversas partes italicus scriptor aperte tutatur gallicoque poetæ objicit quod injuste, nulla exceptione facta, medicos omnes aggressus est. Arbitrabatur enim Goldonius eam artem « necessitate quadam venerandam », ac, si inter medicos sæpius circulatorum imitatores, aut inepti homines obrepant, facile etiam summa æstimatione dignos inveniri posse. Molierus contra, omnes medicos aut fraudulentos, aut indoctos putabat, quibuscum capitales exercebat inimicitias, cunctosque exscindere ac funditus perdere conabatur. Nec tanta bono Goldonio ira; verius enim pingere quam validius malebat.

Doctor Honestus[4], a puellæ cujusdam patre, quæ illius amore deperit seque ægrotam simulat, quo facilius eum videat, arcessitus, vir est probitate integra; prudenter loquitur ac nulla mora virginem optime se habere intelligit; religioni etiam consulit, cum eam se ducere negat, ne a medico seductam dicant; quo,

1. *Mémoires*, t. II, p. 180.
2. *Il medico olandese.*
3. *La finta ammalata.*
4. Anselmo degli Onesti. Nomine ipso medici indoles significatur.

exacte servato exercendæ artis officio, sicut in *Veneto causidico*, satis apparet Goldonium exempla potius sequenda quam vitanda ridicula nobis proposuisse.

Huic ceterum personæ minoris fidei collegæ opponuntur. Doctor « Buonatesta » permultis occupationibus se impeditum fingit, atque affectata in dicendo pompa Pantaloni, puellæ patri, quæ sibi sint die una facienda legit : pretiosissimum ipsius tempus, cujus vel minimum momentum auri pondere est emendum. Avarus enim est, hujusque modi medicos nonnullos, et nostra ætate, reperias; quanquam autem apud Molierum tales interdum inveniuntur quæstui dediti [1], plerosque forare, clysterizare, purgare, venas incidere satis juvat, neque, ut Flacci Romanus quidam, dicerent :

Virtus post nummos.

Doctor « Malfatti » contra ineptus est, cui nulla opinio firma, et, cum de morbo consulitur, illius qui novissima dixerit in sententiam ad eundum semper paratus est, sive stulta « Buonatesta » proposuerit, sive Honestus recte loquitur, quanquam et hic scholasticum in modum, ridiculi inscio scriptore, sæpius disserit effataque tritiora profert, velut : « Remota causa, tollitur effectus. » Chirurgus tandem Tarquinius, cum jure tantum sententiam aperiendi, nec suffragii ferendi, in concilium vocatus, omnia sic concludit : « Venam incidendam censeo », quod sane non mirandum, cum ipse operam mercede suscepturus sit.

Non animadvertit Goldonius, talibus collegis admixtis placideque auditis, doctoris Honesti judicium culpari posse. Difficile enim concedas mente et ratione præditum hominem nulla admiratione, nulla ira tantas audire insanias; consilium certum eligendum : aut delirantes stultos, aut serios viros animique compotes mihi ostendendum, nedum aliis alios misceas; sin aliter

1. *Le médecin malgré lui* (Act. III, sc. 2); *Monsieur de Pourceaugnac* (Act. II, sc. 2).

vere docti ridiculi fient mirabunturque spectatores furiosis magistratuum auctoritate licere in cives publice animadvertere, cum in custodiam eos dari deceret.

§ 3. — *De amatoriis juvenibus.*

In recentiore comœdia omnis fere fabula e contrahendo quodam matrimonio pendet; cujus rei si quærenda origo esset, eam fortasse non in vetere Græcorum comœdia, verum apud Menandrum Philemonemque invenias, quantum a romanis eorum imitatoribus judicari potest. Nullam amatorius juvenis artem, nisi voluptatis profitetur; juvenili gratia animos sibi statim conciliat et, cum visus, subito amatur, nulla bene explicata causa, nisi quod illi vividus est faciei color, cincinnati capilli, novo more vestis, quibus senes aut maturiores viros vincere æmulos valet.

In Molieri comœdiis, si non semper claro genere ortus est[1], nobilium modo dumtaxat vivit; ad principem facilis plerumque illi est aditus politioremque regii comitatus elegantiam ad plebeios affert, quorum dissimilitudine clarius splendet. Si nonnunquam inconsideratus invenitur, velut Horatius in *Uxorum schola,* sæpe etiam sane sapit, qualis Clitander in *Doctrinam affectantibus feminis,* natura plerumque probus atque honestus et, quo melior evadat, materia non deficit; usu annisque optimus fiet.

Longe autem alio modo apud Goldonium res se habent frustraque inter ejus « Florindos » ac « Flaminios », unum requiras exemplum recti judicii præcocisque illius intelligentiæ, quæ Molieri juvenibus non raro adsunt. Elegantia etiam illa illoque lepore carent goldoniani adulescentes, quibus gallicorum « marchionum » ridicula temperantur. Molles ac simpliciores, insulsis digni sunt

1. Exempli gratia : Cleontes in : *Plebeio viro nobilitatem affectante* (*Le bourgeois gentilhomme*).

« Rosauris » quæ ipsis sunt ducendæ. Nonnunquam vix puberes ac pæne etiam pueri sunt, qualis Florindus in *Patrefamilias,* pædagogique ferulam timentes, ad quasvis parati nuptias, emancipentur modo, patriam potestatem ipsi exerceant, maternam dotem vindicent, aut cum fratribus hereditatis suæ partem ante diem dividant.

Romanæ comœdiæ juvenes, etsi multo severiorum patrum in manu, cum quibus eædem juris personæ erant, vividiorem tamen vitam vivebant. Dissoluti sint, virgines corrumpant, meretrices ament, mangones aut annis imbecillos senes innumeris fraudibus deludant, venia tamen digni sunt, quod in venis calidus urit sanguis; mox militia, magistratibus gestis, existimationis integræ servandæ cura, prudentiores fient. Homines enim sunt, et humana illorum cupidines, immo vitia, neque, ut Goldonii juvenes, deflent aut balatus edunt. Hi contra, Flacci verbis utar, « ut nervis alienis mobile lignum » ducuntur, nedum sua sponte agant, affectibusque ipsis moveri valeant.

Lælius in *Fida serva* [1], cum a noverca e patria domo pulsus est, ancillæ labore vivit, quæ miserum sequi erum non dubitavit; adversam fortunam dolet, patrisque exspectat hereditatem, meliora tempora sperans; quæ ut properentur, nihil tamen agit, consilii etiam ambiguus, nam nullam artem exercere potest. Immo, quod ad amorem suum pertinet, excogitare aut agere quicquam nequit, « servæque fidæ » ipsi nuptias parandi uxoremque fortuna dignam eligendi onus incumbit, quando in integrum apud patrem adulescens tandem restituitur.

Nihilo melius, mea quidem sententia, quam hac insulsitate ostendi potest quanta occiderit ruina octavo decimo sæculo Italia, in qua bonæ stirpis adulescentibus artes vel liberales fastidio erant; mercari præsertim, ut majores fecerant, illos tædebat; militiæ

---

1. *La serva amorosa.*

etiam natura pigri erant, nec ubi mererent, videbant. Qui Sanctæ Sedis in provinciis vivebant, in cleros cooptari saltem poterant; desidiose languescebant ceteri, quorum paucissimi sollicitudine exedebantur, ut Alfierius, plerique autem sine cura obdormiscebant. Validiore animo præditi, aut qui fortunam aucupari tentabant, solum vertebant et apud externas gentes nonnulli rebus publicis præerant, quales olim Concinius et Mazarinus aut recentiore tempore Alberonius; alii regum cubiculo præponebantur, velut Algarottius, aut res secretas speculabantur, ut Casanovam tantum memorem; his, urgente dura necessitate, fortuna vincendum erat, aut fame pereundum. Ceteri autem, quibus res familiaris non omnino deerat, victusque suppetebat, vel mediocris, sed certus, placido animo in municipiolo suo sedem ponebant, perdiu dormientes, religiose doctoque palato edentes, liberos denique suscipientes, qui patres imitaturi erant. Si non omnino illos deficiebat intellectus, circa tricesimum annum in quamdam aggregabantur Academiam, ut de nugis serio atque subtiliter disputarent.

His ultimis constat alter juvenum ordo, quem in goldonianis comœdiis reperire est. Priores plerumque « Florindus » aut « Flaminius » nomine appellantur, ceteri « Lælius ». Uxorem Lælius sæpissime habet, sine amore ductam, raraque est inter conjuges concordia; itaque, tædii levandi causa, aut ancillariolus homo fit, aut nobiles amat matronas, quibus ut « cicisbeo » servit; sensibus enim servæ placent, gloriosum delectant illustres feminæ; zelotypia autem caret modoque suo consolari se uxorem sinit. Sæpe etiam aleis indulget, modum tamen raro excedens ac plerumque publicis sortibus contentus; itaque credulus anum quamdam secreto consultum ibit[1], cui conjectatricis fama est, in sortitiones mente defixa, nec quicquam cogitare aliud valet. Ætate jam declinante, si viduus fit, novas contrahit nuptias, nam

1. *Le donne gelose.*

uxore, quæ domui præsit, carere nequit; regi ceterum solet, ac, si necesse est, liberorum commodis otium suum præfert, dum impatienter hereditatem exspectat filius, qui eodem modo victurus est.

De liberis educandis parum pater curat; cui si quid rei suppetit, pædagogum eis dat, sed ingenio atque eruditione raro præstantem, alumno contra blandientem, quo tranquillius propriis vitiis indulgeat[1], et frequentissimum ingluvies est. Errant enim qui putant calidiorum terrarum homines parce ac frugaliter natura vivere: hi contra gulæ inserviunt, quotiescumque alienis sumptibus devorare licet.

§ 4. — *De parasitis.*

Inde fit ut permultos parasitos in italico theatro videamus, meritoque dixerit, recentibus temporibus, scriptor quidam: « Tanta comica virtute parasiti partes hodie etiam apud Longobardos vigent[2]! » cujus rei exempla nonnulla, teste ipso Goldonio, mihi afferenda esse videntur.

In *Prudente uxore*[3] duo nobiles viri, qui rem suam perdiderunt, apud divitem quemdam hominem sedem ponunt, ibique, cum major cibus desit, coptis mustoque contenti sunt. Marito vero et uxore discordantibus, obtrectatorum verba rumoresque spargunt, cumque apud viri amicam cenatum est, uxori quæ ibi sunt audita narrant, ut ab ea, consolationis causa, amatores accipiantur. Res tandem tam longe procedit, ut infidus vir, liberiorem se factum iri sperans, uxorem veneno necare meditetur.

In *Urbano equite*[4] laborem queritur comes Lælius, quo sibi aliis

1. *Il padre di famiglia.*
2. Stendhal, *Vie de Rossini*, cap. VI.
3. *La moglie saggia.*
4. *Il cavaliere di buon gusto.*

obsequendum, dum tempus omne salutationibus cenisque consumitur, et, quanquam vires ipsum deficiunt, dolet cum hospitis mensam vacuam audit sibique intelligit parce victitandum, ut antea, in exigua domo sua.

« Onophrius » in *Jurgiosis mulieribus*[1], abjecto pudore, cibariis avide vescitur, quæ sibi misit plebeia quædam mulier, optimatum in cœtum sese admitti cupiens, miraturque ceteros ordinis sui hanc divitem ac munificam feminam durius accipere. Quid enim illius refert nobilitatis decus? hæc, ejus sententia, meræ nugæ sunt, nam solidum amat et in culina, cum ipsius coquis, obsonia vorat, quæ sibi, bona juvante fortuna, evenerunt.

Qui homo videtur summa infamia merito notari, nec pejus tamen agit, rem si recte pendere volumus, quam inopes isti patricii qui, decoris servandi gratia, fraudibus vivunt et, quantocumque despectui habendi sunt parasiti, majore tamen æstimatione digni videntur quam qui per fraudem pecuniam alienam surripiunt. Sed non omnes quidem usque adeo delapsi sunt, ac nonnulli quamdam dignitatis speciem retinere exiguo victu tentant, quem maxima cura occultant, aut ab amicis pecuniam mutuando. Talis est marquio quidam in *Pulchra caupone*[2], qui tribus assibus[3] cottidie vivit ac nihilominus divitis personam sustinere intendit. E mutuo, quod sibi deest, petit remque agit gestu, habitu dictisque liber et expeditus, necessitatem ita dissimulaturum se sperans. Ut censui parcat, tenuissimo victu utitur, sed quantulumcumque impendit, exiguos sumptus honori sibi ducere vult; sic hospiti suæ strophiolo dato, se eam protecturum pollicetur, miraturque mulierem tantis donis ac promissis resistere.

Non tanta religio comiti « Silvio », qui apud mercatorem Pantalonem[4] pannum empturus venit. Nobilitatem quidem sine

1. *Le femmine puntigliose.*
2. *La locandiera.*
3. Paoletti.
4. *La banca rotta.*

jure usurpavit homo ac vera ejus conditio ad ultimum detegitur, neque illam habet constantem ac superbam animi tranquillitatem, qua præditus est Molieri « Dominus Joannes », qui vere nobilis est. Dolo potius fere eodem utitur quo, in vetere gallica fabula, Pathelinus mercatorem quemdam panno emungit. Scænam totam transferre necesse sit, ut intelligat lector quam scite sit explicata, quantaque calliditate miser deludatur propola, qui mercem, nisi numerata prius pecunia, tradere negat, tandem pannum auferri sinere coactus. Unum tamen verbum, quo scæna concluditur, referam.

Cum Leander, Pantalonis filius, qui creditoribus debitum solvere non potuit, quia ipse nimium talibus credidit emptoribus qualis est Silvius, hunc vituperat quod contumeliam erga se egerit, seque probum esse virum nec talem injuriam meritum ait :

— « Te probum ! pessime, exclamat Silvius, qui credita non solvisti ! »

Nonne hoc optime et salse dictum, quo falsi comitis penitus ostendatur impudentia, cum ipse causa fuerit cur miser Pantalo boni mercatoris existimationem perdiderit !

§ 5. — *De peregrinis.*

Inter tot personas, quæ goldonianarum fabularum partes sustinent, non Italos tantum cernimus ; interdum apparent et peregrini, quibuscum inter vitæ suæ permultos casus commercium noster habuerat.

Batavum jam mercatorem « Raimurum » vidimus [1] admodum, suæ gentis instar, æquabili animo et moderato ; officiosum certe, non idcirco tamen suorum commodorum incuriosum. Magnam quidem pecuniam Pantaloni credere concedit, ut illius integra

1. *I mercanti.*

fama servetur, pignore autem dato et mercatoris apotheca minute inspecta; amico enim auxilio esse, nec pecuniam perdere intendit. Hanc severitatem, hanc semper computandi consuetudinem, quæ in septentrionalibus populis tam frequentia sunt, valde mirabantur Itali, multo etiam magis quam nostræ gentis homines, et facile perspicimus illum habitum eumque agendi modum, qui tantum a suo discrepabat, illis velut reverentiam quamdam peperisse.

Cum eadem fere, quæ supra dicta, indole sint, Britanni munificentia etiam Italis placebant et, quanquam Venetiis infima plebs hæreticos oderat, eosque probroso cognomine persequebatur [1], britannicum aurum libentissime accipiebat. Hunc morem secutus, in quadam fabula [2] quattuor procos Goldonius producit: Britannum, Hispanum, Gallum Romanumque, qui simul mulierem eamdem, matrimonii causa, petunt; hanc vero Britannus pretiosissimo lapide, Gallus effigie sua, Hispanus generis sui stemmate donant. Inutile addere mihi videtur æmulos ab Italo vinci, qui mulierem sincere amat, nec omnino zelotypiam vitat, ut suæ gentis indolem decet.

Nec jactare se tamen posset Britannia imagine sua, quam finxit Goldonius in *Britannico philosopho* [3], comœdia quinque actibus composita versibusque scripta, quæ, quanquam ad altius quam ceteræ scriptoris fabulæ tendit, minime exacta est. Haud facile enim magis contemnendam indolem philosophique nomine indigniorem mente cogitare possis quam hæc præcipuæ personæ. Britanniam quidem nunquam viserat Goldonius illiusque tantum ex arbitratu poetæ depicta imago nulla alia re nos attentos retinere potest, nisi quod ex eo nobis ostenditur quid de gente, quæ tantos tam multosque viros edidisset, censeret scriptor.

Hispanos autem melius noverat, quos in Italia viderat, dum

1. Britanni a plebe veneta « Panimbrui » vocabantur. Vid. *Mémoires*, t. II, p. 38.

2. *La vedova scaltra*.

3. *Il filosofo inglese*.

bello agitabatur quis Polonici aut Austriaci regni hereditatem susciperet. Sed nihil de ista gente vere proprium in *Amante milite*[1] cernere possumus; cuivis fabulosæ narrationis heroi similis est « don Alonso », hispanus adulescens, qui signiferi munus gerit. Pulcher ac fortis, Rosauram perdite amat, veneti mercatoris Pantalonis filiam, quam, bello peracto, uxorem ducturus, officium suum resignat. Huic honesti exemplo opponitur quidam subcenturio, « don Garcia » nomine, qui temere omnes mulieres amat et æquo animo eas derelinquit, quotiescumque hiberna mutantur. Melius imaginem nobilem servat, quæ in animo insidet, cum de Hispania cogitamus, « don Sanche », centurio Alonsique avunculus, qui nepotem filii loco diligit, nec tamen, quæ ducem decet, severitatem unquam omittit. Veterani illius militis facies, toto terrarum orbe lustrato, multarum regionum sole adusta, Caroli Quinti Philippique secundi commilitonum memoriam revocat, quorum successores apud Rupem Regiam ceciderunt, antiqua laude cladi superstite.

Septentrionalium gentium dissimiles, nec non severorum Hispanorum, Galli agitatione, motu, benigno habitu, in pugnando impetu, ac depositis armis, hospiti placendi studio, ad quem forte devenerant, Italis mirationem movebant. Cum mulieribus indulgebant amori, cum pueris ludebant, et ubique novis moribus, quos primum spectabant, puerili quadam simplicitate, oblectabantur. Qui stipendia non merebant, aut aulici erant, qui Ludovici quinti decimi filiam in novum Parmense regnum erant comitati, aut servi, qui eros suos imitandi cupidi, eorum vitia in majus tollebant, aut saltatores, capillorum concinnatores, vel coqui, quibus in artibus nostra gens tunc excellebat. Itaque, cum postea *Commentarios* scripsit Goldonius, veniam petiit, quod in pejus gallicam indolem[2] primum depinxisset. Allegat se quidem, quales

1. *L'amante militare.*
2. Vid. *La vedova scaltra.*

in Italia viderit, Gallos expressisse et, cum primum Lutetiam venerit, culpam prius admissam se agnovisse, utpote qui ridicula in patria sua derisa non jam conspexerit ; concludit igitur aut Gallorum habitum cogitandique modum omnino quinque et viginti post annis mutatos fuisse, aut nobis placere apud externas gentes vitiorum affectationem, quibus revera caremus.

Harum opinionum altera, ut videtur, inanis est, altera veri etiam dissimilior. Tertia restat, cujus mentio non fit : Gallos, qui solum vertant, gentis suæ non optimos plerumque esse et in Galliam veniendum ut, quantum valeamus, ceteri populi agnoscant. Patrii enim nobis tantus amor soli, ut fere ad hunc diem, qui cogebantur, tantum peregrinarentur ; hoc quidem explicari potest tam sæpe ab externis male de nobis judicatum esse, cum nostra vera indoles ignoraretur. Quoquo tamen modo res se habet, confitendum est nonnulla Goldonium vere et argute animadvertisse : molestiam, exempli gratia, Gallos peregrinis sæpius afferre, quibus contra placere student, moribus suis ultra laudatis. Lepidissimum enim arbitramur dicere eos nostri simillimos [1] ; usus novos fastidimus ; dotes, vel minimas, extollimus, quibus nos ceteris præstare populis existimamus [2].

Nec nimium his insistendum, nam in prima, quam Lutetiæ docuit, fabula, reum se antea confessus est Goldonius, culpamque excusaturus laudibus, quæ nonnullis intemperantiores visæ sunt [3],

1. *La vedova scaltra* (Act. I, sc. 1) :
Monsieur Le Blau — « Quella bella vedova.... pareva una Francesa ; aveva tutto il brio delle Mademoiselles (sic) di Francia.... »

2. *Ibid.* — « Questa cena e stata passabile, ma voi altri Italiani non avete nel mangiare il buon gusto di Francia.
— Abbiamo anche noi de' cuochi Francesi !
— Eh ! si, ma quando vengono in Italia, perdono la buona maniera di cucinare. O se sentiste come si mangia a Parigi ! Là è dove si raffinan le cose.
— Voi altri Francesi, avete questa malinconia in capo, che non vi sia altro mondo che Parigi... »

3. Grimm, *Correspondance littéraire*. Ed. Tourneux, t. V, p. 276. Vide præsertim : *L'amor paterno,* Act. II, sc. 5 et 11.

Galliam extulit; optima vero prioris severitatis excusatio mihi videtur eum, qui Venetias, Lutetiæ biennium tantum mansurus, liquisset, ibi reliquam ætatem egisse ac post triginta annos extrema senectute tandem vita decessisse.

DE MULIERIBUS.

Quanquam non absunt femineæ personæ a comœdiis, rarius tamen risum movent; offenderet enim apud spectatores poeta, qui virginem deridendam proferret. Itaque præcipuas habent partes, aut minimas, apud Goldonium mulieres, prout de flebilibus [1], aut comicis fabulis, agitur.

In comœdiis plerumque adventiciam personam virgo gerit, quanquam illa opus est ut ad imum nuptiæ contrahantur. Maturis contra viris aut senioribus quidquid risum movet tribuitur, quia minime religiosum arbitramur de illis ridere; major immo in illis deridendis varietas, cum et artibus professis et conditionibus inter se discrepent provecta ætate viri; feminis autem minus firma indoles, nec virginibus etiam aut validi affectus, aut adulta sunt vitia. Itaque, cum mulieres comœdiis admiscentur, vi majore ostendere plerumque intendit poeta virorum ridicula, qui eas aut parum dextre, aut tardius amant.

Aliam etiam ob causam obliquas, ut ita dicam, partes in goldoniano theatro agunt feminæ. Veteres enim, quamvis emendatæ sint, extemporalis comœdiæ personas noster servavit, in qua parum mulieres valebant; nam in ea nihil fere aliud invenias nisi pupillas a tutoribus arte, quanquam inutiliter, custoditas; virgines ad amandum promptas; illiberaliter festivas mulieres virisque placendi studiosas, a quibus rectis lineis Goldonii Rosauræ Beatricesque genus ducunt. Quod argute quidem animadvertit Schle-

1. Vid. *Pamela, La figlia obbediente, La putta onorata, La buona moglie, La serva amorosa,* etc.

gelus[1], qui in omnibus hujus scriptoris comœdiis duas tantum femineas partes reperiri posse ait, scilicet virginem tenero sensu præditam puellamque jocosam; quibus contentus poeta majorem diversitatem non quærit.

Quarum personarum prior plerumque Rosauræ nomine designatur. Pulchrum adulescentem vidit, qui eam, dum mænianis insideret, reverenter salutavit, aut ad sacrum secutus est eique placuit, quod, ut ipsa, juvenis erat atque in amandi tempore. Acuto tamen ingenio dolisque fecundo caret illa, quod Molieri Agneti tam large suppetit, firmo etiam Henricæ judicio, nec turbulentum procacemque habet animum, quo Agathe[2] agitatur. Simplicissima potius est, non quia vitæ tunc etiam rudis, sed quod natura incallida est ac nonnunquam omnino insulsa.

Licet duodeviginti annos nata sit, puppa tamen Rosaura ludit[3], quid sit maritus ignorans, virumque sibi habere, omnium amicarum instar, tantum cupit, quod pervicaci animo puerilibusque precibus a patre petit. Florindum enim novit, qui eam, quotiescumque videt, salutat eamque, quadam die, donare tentavit :

— « Quo dono ? pater exclamat[4].

— Ne saltem mecum stomacheris!

— Tu porro loquere, pessima, nec longius dubites !

— Me donare voluit.....

— Tu me excrucias !

— Pupulo[5]. Sed liberos si voluero, illo mihi non opus est agamque idem quod Flaminia, Ludovica et Constantia.

— O stultissimam ! »

Eamdem insulsitatem, qua non feliciter Molieri *Uxorum scholam* imitatus est Goldonius, in nonnullis fabulis invenias, ac præ-

1. *Vorlesungen über dramatische Kunst und Literatur*, IX.
2. Vid. Regnard, *Les Folies amoureuses*.
3. *Il conttratempo* o *Il chiaccherone imprudente*.
4. Act. II, sc. 17.
5. Un bamboccio.

sertim in *Amantibus*[1] et in *Muliere inconstanti*[2], ubi, cum Dianam sponsus rogat num quem unquam amaverit, respondet illa se « in tectis currere nescire », quod feles ita Veneri indulgentes viderit[3].

Quibus satis apparet quantum et in emendato Goldonii theatro corrigendum superesset, quotque extemporalis comœdiæ vestigia etiam tum manerent. Injuria tamen judicaremus, si talibus exemplis tantum uteremur; non raro enim Goldonius altius se attollit illisque, qui eum feliciore luce cernere cupiunt, scænam[4] quamdam notabo, quæ scitissime explicatur, quaque liquet non acumine interdum carere poetam et optime vitium quoddam apud feminas frequentissimum depinxisse, scilicet immodicam placendi cupidinem vestiumque cultum justo mundiorem.

Virginibus suis interdum simplicioribus Beatrices plerumque Goldonius opponit, firmior quibus est animus et quæ aut festivæ sunt puellæ, aut sæpius matronæ amantibus indulgentes[5]. Frequenter etiam Beatrix seni viduo secundis nuptiis juncta est[6], cui utilitatis causa nupsit; sed virum privignosque jurgiis torquet, ac nonnunquam, ut proprii liberi in mariti filiorum loco heredes instituantur, omni cura, nec dolis, nec scelere etiam semper omissis, privata Agrippinæ exemplum secuta, contendit.

Fabula tunc seria fit; comœdia autem mera nobis ostendit matres viris placendi semper cupidas, quæ filiarum amantes sibi præsumere conantur[7]. Nec provectior ætas ignes « cineri doloso suppositos » etiam exstinxit, ut in adventicia *Aleatoris*[8] persona,

1. *Gli innamorati.*
2. *La donna volubile.*
3. Act. 1, sc. 20.
4. *Le smanie per la villegiatura.* Act. II, sc. 12.
5. *La finta ammalata, L'avvocato veneziano,* etc.
6. *Il padre di famiglia, La serva amorosa, Il poeta fanatico, L'uomo prudente,* etc.
7. *Il tutore, Il raggiratore, L'adulatore, La sposa sagace, Il cavaliere di buon gusto,* etc.
8. *Il giocatore.* Act. II, sc. 11.

vetula Gandolpha, animadvertitur, quæ æqualem suum Pancratium amantem habet, quanquam ambo centum et quinquaginta annos additos numerant. Tricesimum jam annum et ultra inter sese amant, et licet illis cani sint capilli, quamvis epiphora rheumatismoque laborent, juvenile utrique semper pectus, neque etiam zelotypia carens; dumque alter alteri optimas ad valendum pillulas commendat, interdum præteritorum amorum memoriam revocant eosque renovare etiam tentant. Vetustiorem quidem sibi Pancratium existimat Gandolpha atque, ut annorum summa minuatur, non illi conjux displiceat adulescens quidam, qui vetulam fovet, cum ultimum assem aleis perdidit.

Omnibus vero mulieribus populares suas, quæ Venetias colebant, anteponebat Goldonius easque sæpissime magnis laudibus extulit. Quarum gratiam, mentis acumen, placendi cupidinem, hilarem facilemque animum prædicat, quas dotes, veneta dialecto utens, verbo : « morbinoso » designat. Earum autem et pudicitiam laudat, nam caste liberaliterque se oblectant, cum larvis festisque diebus multum liceat, ac, si de peregrinis rident [1], id est de Italis, qui in venetis provinciis nati non sunt, tantus est jocorum lepos, tam dulciloquus sermo, qui virorum in ore interdum puerilis ac ridiculus videtur, ut severissimi censores veniam illis negare non possint. Ipse enim poeta fatetur se hoc modo callide a spectatoribus cavisse, nam mulieribus blandiendo, ut ait, et viris placetur [2].

DE MIMIS.

Exceptio tamen notanda quod ad mimas pertinet, de quibus Goldonio multum querendum erat, nam quæ populo maxime placebant eum præsertim libidine frequentissime fatigabant. Una [3]

1. *Le morbinose.*
2. *Mémoires,* t. II, p. 321.
3. Mme Medebac. Vid. *Mémoires,* t. II, p. 79.

inter alias ægram se semper esse putabat, aut, simulato morbo, comœdiam plausu acceptam hærere atque in tempus differri cogebat; quod si autem alii illius partes proponerentur, ægra statim optima salute convalescebat. Quam Goldonius in scæna[1] se ipsam agere coegit, sed etsi rem illa senserat, partes suas tamen, quæ sibi valde placebant, optime defendit.

Mordacior nonnunquam fabula erat, cum in pulpita produceret poeta cantores aut comœdos, quos, omnibus artis suæ ridiculis ostentatis, deludebat. Duarum fabularum materies hoc uno constat, quarum de priore[2] jam mentio facta est; sed non tantum ibi quid de arte dramatica sentiat, explicat Goldonius; comœdos etiam, ea occasione data, deridet, qui extemporalem comœdiam agebant. Illos vituperat quod in loquendo verborum finem omitterent, citius pronuntiarent, spendida loca cantu quodam continuo declamitarent; quod eorum gestus essent jactantiores, ambobus bracchiis aut inertibus, aut simul agitatis; quod rei gestæ animum non satis attenderent, oculos oraque ad spectatores dirigerent, dum nihil illis dicendum esset, velut somno excussi, cum sua vice loqui deberent.

Fabulis cantibus ornatis jam plurimum comœdiæ nocentibus, occasionem raro prætermittit Goldonius in cantores, ac præsertim in cantatrices, telum quoddam torquendi. Arrogantia cum comœdis utebantur qui canebant, prioresque miseros histriones circulatoresque, ut maxime ad delectandam plebeculam aptos, dicebant, dum se summos artifices musicæque doctos ipsi profitebantur. Itaque, in *Comico theatro* pro cunctis Clarissæ cantatricis caput unum datur, quæ, cum ipsius cantum emere nemo vult, felicem se putat quod in Goldonii gregem admittatur, polliceturque se, quantum valeat, enixuram ut artem, quam professura sit, plane discat.

---

1. *La finta ammalata.*
2. *Il teatro comico.*

In altera fabula[1] tria simul cantatricum specimina videmus : Florentinam quamdam, Bononiensem, Venetamque, quibus nec natura virtutem, nec disciplina artis suæ scientiam præstitit. Primarum tamen esse partium cupiunt, secundas, velut indignas, respuentes. Non nisi multarum avium, canum, ceterorumque hujusmodi animalium frequentia circumfusæ unquam procedunt, et quæ præ se castarum mulierum speciem ferre intendunt, aniculam quamdam, matris locum tenentem, aut fratrem, aut aliquem simulatum cognatum præsidio habent. Artium intelligentes viros nihil aliud quam amatores sibi a natura datos existimant, qui sumptibus suppeditent; rara autem hæc fortuna felicesque se arbitrantur cum solum patrium vertere modico canturæ pretio possunt, nam sibilis sæpius explosæ, quam plausibus acceptæ, in municipibus scænis, sibi usque antehac tantum notis, fuerunt.

Nec multo melius valent cantores : qui femineam vocem imitatur omnibus mulierum ridiculis novum addit, cum alieni sexus videri conetur; cantatricem se relicturum negat qui virilium partium acutissimas canit, quod cum ea, palumbum more, amatoria cantica edere suevit. Ceterum omnes unam tantum aut alteram cantilenam didicere miserrimusque poeta, qui gregem sequitur, durum debet suscipere opus ex improviso nova verba nimium notis vocibus accommodandi.

Quod si tamen rerum species aliquantum claudicat, monet nos Goldonius inter tot dubios casus intactos plerumque mores perstare, et dona interdum ab eis, qui ipsas colant, cantatrices accipere artis suæ venerandæ, nec pudicitiæ lædendæ causa ; quodlibet suspicetur spectator : dum non nimis diffidat aut nimium sit malevolus, salvum manet quod decet. Una tamen fit exceptio[2], cum Clarissa cantatrix scitissime vetuli Pantalonis opes

1. *L'impresario delle Smirne.*
2. *La banca rotta.*

eruit; nec difficilis opera erat, nam illam mercator efflictim amat et, quamvis jam sit senex, simplicissimus permansit. Rebus semel perditis, pollicitus quidem est se vitam mutaturum amoribusque, ætatem suam non decentibus, valedicturum : « Talis autem femina, ait, quantum a ceteris discrepat! Vera margarita est; meliorem non inveniam. Juravi quidem sapientius me gesturum, neque autem omnes vitæ voluptates abdicaturum! » Hoc modo firmissima vertuntur consilia, cum meretriciam artem muliercula penitus novit. Heu! miserum Pantalonem, simplicitate tua ac tardis cupidinibus delusum! Quando aliquis talium feminarum in manus semel inciderit, tam arte captus est, ut evadere nequeat, nisi pectore, corporis salute et ipsa existimatione gravissime læsis ac plerumque perditis.

DE ANCILLIS.

Ex omnibus femineis partibus præter ceteras in goldoniano theatro eminent ancillularum, quibus ceterum in *Commentariis* noster se semper indulsisse fatetur. Etenim quæ mulieres hanc personam agebant gregis scænici optimæ erant, quod illis extemporalis comœdiæ vividus animus, pervicax festivitas, ingenii æstus seriæ disciplinæ admiscendus erat, qua tunc emendato theatro opus erat; sed cum hæ naturæ dotes labori addebantur, quem correcta scæna rogabat, bonus fiebat certusque successus.

Studio igitur proprio obsequendi causa simul ac spectatorum, et primarum partium personis placendi, quæ populo coram perspici cupiebant quid possent efficere, multas fabulas poeta scripsit, in quibus ancillulæ eminent[1]. Nonnullæ, neque illæ optimæ, sunt seriæ; felicior autem Goldonius, cum ex more fictam profert

---

1. *La gastalda, La donna di garbo, La cameriera brillante, La donna di governo, La donna vendicativa, I puntigli domestici, La serva amorosa, La locandiera,* etc.

ancillulam : jocosam, acrem, bracteolis ornata veste succinctam, qua magis muliebris gracilitas valeat. Talis est præcipua persona in *Ancilla ingeniosa*[1]; Jacopina in *Homine fraudulento*[2], gallici theatri servas imitata[3]; Corallina in *Optimo tutore*[4], quæ eræ suæ rapiendæ pro parte operam præstat, nec solis radios repercutientibus nummis resistere valet; Marionetta, « Callidæ viduæ[5] » gallica serva, quæ apud dominam proci, popularis sui, causam defendit. In *Antiquarii familia*[6] et in *Domesticis jurgiis*[7] Colombina nec non Corallina primas partes agunt, quarum quid sit odiosum acuto personæ ingenio obtegitur. Iras enim acuunt, quas sibi quæstui vertunt, ab utraque parte pecunia accepta, ac merita pœna tandem afficiuntur.

Non multum ab hac persona distat quædam alia, qua Goldonius frequenter usus est, ut mimarum calliditatem omni ex parte ostenderet : dicere mihi in animo est illam quæ plurimam speciem affectat, qua, permultas imitata formas, mulier vicissim, risu lacrimis mixto, aut mordax, aut flebilis est; nunc acuto ingenio, nunc molli sensu placet et, dum pectus movere videtur, mente simul qui spectant alienantur.

DE SERVIS.

Nec minus rei gerendæ utiles sunt servi quam ancillæ, longumque in Italia hæc persona genus ducebat; ortum enim fuerat a Davis Getisque, quos romani poetæ produxerant; continuatum erat in comœdia « erudita », cujus servi amatoriorum juvenum

1. *La cameriera brillante.*
2. *Il raggiratore.*
3. Vide præsertim Act. II, sc. 1 et Act. III, sc. 7.
4. *Il tutore.*
5. *La vedova scaltra.*
6. *La famiglia dell' antiquario* o *La suocera e la nuora.*
7. *I puntigli domestici.*

consiliis intimi omni ope eris auxiliabantur; comœdia tandem plebeia iisdem personis usa erat, quibus Truffaldinus, Arlecchinus aut Trappola nomen, et qui Scapinos gallicos lineis rectis filios habuerunt.

Goldonius qui, ut supra dictum, corrigere, neque abolere extemporalem comœdiam intendebat, hanc personam sibi etiam vindicavit: servi ab illo in scænam producti ad duo archetypa referri posse videntur, quorum non eadem semper nomina, sed indoles, quod in re est præcipuum, constans. Arlecchinus et Brighella, ambo Bergomates, natali dialecto non desueti sunt; sed, dum prior tardus, obtusus, helluo atque pigerrimus, alter, quanquam iisdem deditus vitiis, emunctæ naris est. Arlecchinus quidem gregarios inter servos numeratur, Brighella vero, plerumque in familia majorem gradum tenens, nonnunquam rei domesticæ procuratoris quæstuoso munere fungitur.

In fabulis, quæ ad militiam spectant[1], Brighella fit decanus, dum Arlecchinus militibus cibaria vendit, aut tirunculus conscriptus est. Huic scurriles joci obveniunt, qui extemporalis comœdiæ verba recinunt, cum, exempli gratia, nomina mutilat, aut quæ sint personæ ignorat et, litterarum nescius, alteri dat epistolam quæ alterius est. Quamvis autem sit simplicissimus, erum, quantum valet, defraudare conatur, stultitia vero proditus[2].

Istiusmodi fraudes moliri dedignatur Brighella seque probiorem arbitratur, quod majora furta quærit. « Prodigi[3] » procurator opimos quæstus, spoliato ero, aggerit, sed, cum litteras noverit, subreptæ pecuniæ summam in rationem inducit callidiusque compilat. Cum necesse est, ut ero Musis indulgenti placeat, poeta etiam fit[4]. Bene, non multum, edere amat; in domo erili tam

1. *La guerra, L'amante militare, L'impostore.*
2. Vid. *La banca rotta.* Act. III, sc. 1.
3. *Il prodigo.*
4. *Il poeta fanatico.*

firmam sedem denique ponit, ut ceteri servi eum solum dominum agnoscant, nec jam veri patroni jussa exsequi velint.

Plerumque Arlecchinus extemporalis comœdiæ morem exactius sequitur, in qua deridendus semper servus erat; Brighella autem et seriis fabulis admiscetur. Tunc probus fit atque æstimatione dignus, simul ceterum et sæpius tædium afferens. Tunc partes sustinet vetuli procuratoris, canitie venerandi, qui nascentem erum vidit eumque, patris instar, amat, dum gentis antiquitatem etiam reveretur. Hoc enim ætatis affectatam mollitiem arguit, qua et personæ a majoribus validissima nota signatæ mutabantur. Sed antiqua vestigia nonnunquam apparent priscamque prodit Brighella originem, etiam cum flebilis cujusdam fabulæ præcipuas partes agit. Non enim tot sæcula aliquis nebulonis modo se gessit, quin veteris habitus quid ei superfuerit; re quidem vera sub honesta optimi civis veste, qui nunc existimatione integra fruitur, pendet etiam bracteatus pannus, servitutis indicium, quam dum ferre cogebantur, sortem suam jocis ulciscebantur mordacibus.

TERTIA PARS

VII

DE GOLDONIO LUTETIÆ MORANTE

Circa annum post Chr. 1760 italici comœdi[1] Lutetiæ agentes, studium decrescere dolebant, quo Galli antea ad hoc spectaculi genus allecti erant. Quanquam enim et a gallicis scriptoribus fabulæ nostrate lingua suppeditabantur, non satis varias esse, quas recitabant actores, comœdias existimabant sentiebantque renovandum esse tritum genus, auxiliante viro, qui in patria sua italicam scænam correxisset. Quamobrem, a gallico legato apud Venetam rempublicam Goldonio propositum est biennale pactum ejusdem modi atque illud, quod pluries cum scænicorum gregum ducibus in Italia convenerat.

Eo quidem tempore Parmensis ducis in beneficia Goldonius fuerat delatus, pactoque convento, Sancti Lucæ theatro fabulas se scripturum promiserat. Arte vero sua modicum quæstum, ut

1. De eo, quod ad italicam comœdiam Lutetiæ pertinet, vide: *Marivaux*, thesim a Larroumet, in qua largissima indicia de libris aut scriptis invenias ad hujus historiam spectantibus. Desiderandum forte unum restat; tacetur enim de Goldonii *Commentariis*, minutissime de italica comœdia in Gallia loquentibus nec non de fabulis, quas huic scænæ scripserit noster ab anno post Chr. 1762 usque ad annum 1780 (*Mémoires*, t. III, passim).

vidimus, usque antehac tantum fecerat, moxque « venturam tristem senectutem anxia sollicitudine providebat[1] », tunc plus quam quinquaginta annos natus; itaque, cum in patria certam vitæ conditionem inventurum se non jam speraret, ad illa quæ sibi proposita erant accessit, nec multo labore abeundi facultatem obtinuit. Triginta millia sestertium quotannis eum accepturum conventum erat, quo pretio fabulas novas, quantum necesse foret, se scripturum pollicitus est.

Sancti Lucæ autem theatrum impeditum relinquere nolens nonnullas ultra comœdias docuit, ut hibernis temporibus sufficeretur, atque ineunte mense aprili, anno 1761, profectus est, non magnis tamen itineribus peregrinans, nam Bononiæ, Parmæ, Placentiæ moratus, in itinere fabulas cantibus ornandas componebat apudque principes officia assidue obibat. Tribus ita consumptis mensibus, nondum in fines Genuensis reipublicæ, uxoris suæ patriæ, pervenerat; ibi, Galliam attacturus, in navem conscendit et, naufragium pæne passus, Varum flumen transivit, dum Molieri umbram auxilio sibi futuram invocabat.

Magni comici poetæ patriam tandem visurus præsentiebat in hoc novo solo ingenium suum renovatum iri et ad fastigium perventurum, quod nondum attigisset. In eundo, de re, quæ sibi magni erat momenti, certior factus est : precibus obtinuisse italicos comœdos aboleri in urbe Lutetia theatrum, cui antea nomen « Opéra-Comique », ipsisque licuisse fabulas usurpare, quæ hujus scænæ essent; quo fiebat ut spectaculis major varietas afferretur, cum et cantibus et saltatione uti concessum fuisset.

Goldonii autem popularibus summa illius exspectatio erat, arbitrabanturque eum non satis festinare, quod pactum esset, solvere. Cum Lutetiæ proximus[2] fuit, duobus italici gregis actoribus[3] occurrit, qui ei obviam fuerant, ut in urbem ingredientem hones-

1. *Mémoires*, t. II, p. 340.
2. In vico, cui nomen : Villejuif.
3. Zanuzzi et M[me] Savi.

tius acciperent; celeberrimi vero loci amplitudinem miratus, primos post adventum dies in Lutetia invisenda consumpsit, novos mores observans frequentansque theatra, populo quid placeret animadvertendi causa.

Quanquam autem ambabus in unam conjunctis scænis magnus favor erat[1], quibus diebus italici comædi fabulas soli agebant minime frequens erat consessus[2], dicebantque nonnulli[3] pecuniam, quam, pacto convento, Goldonius accepturus esset, perditam fore; nam qui italico sermone familiariter uti possent, rariores esse quam ut in theatro frequentia fieret, spectatoresque, quid valerent actores, non satis intelligere, cum illi aliena lingua sermocinarentur. Qui autem callebant, res illis non multo magis placebat, nam in Gallia morati, ubi et nonnulli nati fuerant, Itali patrio sermone et cantilena erant desueti, mirabaturque pro parte Goldonius populares suos extemporales fabulas tantum recitare ejusdem generis quod ipse in Italia correxisset, et obsoletum dicendi modum in ea urbe servare, quæ ceteris gentibus delicati judicii exemplum esset.

Non sine multo labore ad suam sententiam eos ducere valuit, quorum alii scriptis fabulis, alii ex improviso recitatis magis favebant[4], concilioque inito, in quo poeta dedecere ostendit auctorem spectatoribus præberi novum, dialogo non scripto, tandem emendati generis comœdia rem incipi placuit, cui titulus: *Paternus amor*[5]. Nec fefellit hæc fabula acerrimi judicii criticum, qui, etsi peregrinus, ut Goldonius, erat, multo melius quam venetus poeta gallico sermone utebatur. Reprehendit enim Grimmius plurima nimium demissa loca, insulsas in Lutetiæ populum adulationes scurrilesque jocos monstruose affectibus, quibus moven-

1. Bachaumont, *Mémoires secrets,* die 28 mensis februarii 1762.
2. Goldoni, *Mémoires,* t. III, p. 16.
3. Grimm, *Correspondance littéraire.* Ed. Tourneux, t. V, p. 276.
4. *Mémoires,* t. III, p. 16.
5. *L'amor paterno* osia *La serva riconoscente.*

tur animi, mixtos[1]. « Quod si, addit idem, ad leges artis exactas fabulas scribendi laborem non timeret poeta, omittendas fuisse personas larva indutas; nimis enim aut non satis patrio theatro scriptorem fecisse, nec consuescere homines verniles jocos veræ comœdiæ scænis succedentes videre. Quæ fabulæ larva indutis personis utantur, eas, quales natura sint, constare oportere, res scilicet gerendas, quarum scænæ non sint scriptæ, sed actorum impetui atque inveniendi copiæ traditæ; fervido autem æstu, quo illi ex improviso recitent, id genus placere et, si memoriæ tradita dicenda sint, præcipuam hujusmodi jucunditatem tolli, cum gens italica, et dum deliret, proprium habeat quoddam ingenium. »

Decem annis tamen elapsis, idem grammaticus minus severe cum Goldonio agebat, visaque *Persica uxore*, talibus utebatur verbis[2] : « Hæc comœdia inter optimas scriptoris numerari potest; laudandum enim mihi opus visum enim est ac pure scriptum, quantum saltem judicare licuit, nam indigno modo ab actoribus verba mutilabantur. »

In Italia composita fuerat fabula, de qua ibi agitur; Goldonius autem, fecundissimo ingenio præditus, Lutetiæ non minus quam viginti quattuor fabulas novas biennio scripsit, obligationem, quam susceperat, soluturus, et nonnullæ magno plausu acceptæ sunt. Quæ primum ex improviso recitandæ erant, illas postea scriptas in Italiam misit, cum ab exsulante novæ semper comœdiæ, in patriis agendæ scænis, peterentur.

Τριλογίαν quamdam, eo tempore actam, quæ triplici actione constat[3], « mira arte elaboratum opus » Grimmius appellat, « naturæ imitatione, veritate, imaginandi vi et acuto scriptoris inge-

---

1. Grimm, *Correspondance littéraire*. Ed. Tourneux, t. V, p. 276.

2. Grimm, *Correspondance littéraire*. Ed. Tourneux, t. X, p. 70-71. Addit autem Bachaumont (*Mémoires secrets,* die 26 mens. sept. 1772) parum spectatoribus *Persicam uxorem* placuisse.

3. *Gli amori di Arlecchino e di Camilla — La gelosia di Arlecchino — L'inquietudine di Camilla.*

nio. » Tantum immo moveri animum suum sinebat affectibus, qui comicis scænis admiscentur, ut, quibusdam Arlecchini Camillæque sermonibus teneris auditis, « non potuisse se in fletus non effundere » fateatur [1]. Animadvertit etiam quam dives materia fuerit, quantaque inveniendi copia viro sit, « qui in una comœdia rerum abundantiam tantam cumulaverit, ut et pluribus sufficiat [2] ».

Paulatim Goldonius nostræ gentis familiaris evaserat, sed naturæ bonitate moribusque facilibus haud multum tunc discrepabat a veneto Pantalone, qui in tot fabulis suis præcipuas partes agit. Modestus enim, parco vivens cultu, quamvis epulis, aleis amicorumque conventibus libenter indulgeret, ingenii veniam præstantis inveniebat, quod omnino affectatione carebat. Nec etiam nostris hominibus qui litteras colebant timendus æmulus tum videbatur, quippe qui scænæ peregrinæ peregrino sermone scriberet, qua in re monopolium, ut ita dicam, exercebat. Omnium idem amicus, ac præsertim illorum qui philosophi esse affectabant, nullius partes sequebatur, si forte alius alii obtrectaret, licetque catholicæ fidei strictissimus esset fautor, omnibus officiis Voltarium assectabatur, qui rursus ei epistolas italico sermone, nec non etiam veneta dialecto, scribebat [3], altius eum fortasse extollens laudibus quem non timebat rivalem.

Goldonio quidem malevolus primum fuerat Diderotus, quod

---

1. *Correspondance littéraire.* Ed. Tourneux, t. V, p. 431-432.

2. *Ibid.*, t. V, p. 399.

3. Vid. epistolam a Ferney, cui dies 24 mensis septembris anni 1760 adscriptus est et in qua legitur : « O che fecondità ! mio signore, che purità ! come lo stilo mi pare naturale, faceto ed amabile ! Avete riscottato la vostra patria dalle mani degli Arlecchini... La vostra amicizia m'onora, m'incanta. » (Ed. Beuchot, t. IX, p. 49-50.)

In alia epistola, quæ : « Aux Délices, le 28 auguste 1762 » adscripta est, felicem Lutetiam adventum Goldonio veneta dialecto gratulatur Voltarius (Ed. Beuchot, t. X, p. 368-369). Eidem litteras mittit (die 19 mens. febr. 1763) de *Amore paterno* et (die 4 mens. apr. 1772. *Ibid*, t. XVII, p. 406) de *Benefico moroso*, in quibus hæc verba inveniuntur : « Italus ille omnibus gentibus exquisiti judicii exempla daturus videtur. »

Frero, in *Litterariis Annalibus*, italicum *Verum amicum* in *Naturali filio* furto imitatum Diderotum fuisse scripserat, integris scænis a Goldonio nullo pudore sumptis, Diderotusque in respondendo Goldonium « sexaginta aut amplius scurriles fabulas composuisse » dixerat, e quibus minima præda facienda esset. Vehementissime autem negavit italicus poeta se unquam hujus insimulationis participem fuisse, declaravitque omnibus, qui aures præbere vellent, *Filii naturalis* materiam nullo in ipsius operibus furto Diderotum cepisse, multo etiam minus *Patrisfamilias*, quanquam ipse fabulam ejusdem tituli composuisset, nec Dideroto opus esse trans montes comœdiarum materias quærere, cum animum a severioribus levare laboribus vellet. Non eo contentus quod communem errorem, in septimo operum suorum volumine *Patrefamilias Vero*que *amico* editis, correxerat, philosophum ipsum adiit, ad quem ab utriusque amico, musicæ artis perito Dunio, aditus patefactus erat. Confessus est quidem Diderotus « sui delicatissimam partem, id est quod ad litterati existimationem pertineret, læsam fuisse », nullum autem addidit se odium servasse, amboque viri sese amplexi sunt, cum Dunius hos Tassi versus in memoriam aptissime revocasset :

Ogni trista memoria omai si taccia
E pongansi in oblio le andate cose!

Tam prudens immo fuit Goldonius ut alius viri, multo difficiliore indole, Joannis Jacobi Rufi, inimicitiam vitaret. Longa scala ad cenaculum ascendit, in quo celeberrimus philosophus vitam agebat, ægroque animo tantum hominem musicæ notulas, unde victum quæreret, exscribentem vidit. Summa autem cavit cura ne quod miserationis signum proderet, italica prohibitus astutia quominus tam stulte peccaret. Cavit præsertim ne *Confessionum* scriptori *Morosum beneficum* legeret, quanquam id antea promiserat ; suspiciosus enim hominum inimicus talem fabulam ad suam effigiem fictam fuisse existimandi occasionem non omisisset.

Quod circa tempus, Ludovici quinti decimi regis filias italicum sermonem docendi cura Goldonio commissa est, ac postea ejusdem principis neptes ; quam ob rem multa gratia apud regium comitatum valuit, ejusque fabulæ ante aulicos simul ac cives recitabantur ; quo explicatur peregrini scriptoris *Morosum Beneficum* in Gallico theatro facile actum fuisse. Illius scilicet ætatis morem secutus, comœdiam suam apud privatos Goldonius ipse nonnunquam recitavit, ut rem ante experiretur quam in lucem publicam proferret et, quanquam minimo favore a quibusdam [1] fabula accepta est, paucissimi ita censuerunt ; nunc vero titulo saltem *Morosus Beneficus* permanet, quo significatur indolis quædam varietas, a scriptore jam in *Nova domo* [2] antea adumbrata.

Bonus quidem indole Gerontius est, sed qui valido impetu ad iram pronior feratur. Imperiosus fit quod est dives paterque familias et quod ceteri, ad nutum intenti, ejus voluntati obsequi solent. Fratris tamen filiam Angelicam filiumque, « Dalancour » nomine, diligit ; uxorius autem adulescens, dum conjugi suæ nimium indulget, eam credere sinit se ipsum vero ditiorem esse. Illa etiam bona virique amans est, sed adhuc adulescentula atque admodum festiva permultam vestibus, ornatibus, rhedisque consumpsit pecuniam adeo ut, quattuor elapsis post nuptias annis, fortunis omnibus eversus sit Dalancour. Nec sororis ipsius dos intacta mansit ; alieno ære obruitur et paulum abest quin, petentibus creditoribus, in custodiam detur.

Gerontius, qui antiquo more cum servulo ac procuratrice quadam vivit, in nepote offensus est, quod tam male res suas gesserit ; inutile autem eum reprehendi existimans, videre hunc jam negavit ac de rebus illius curare. Non tamen flectendi patrui spem omnino Dalancour perdidit ; statuit igitur ut ære alieno oppressum se

1. Vide epistolam quam « Mme du Deffant » ad Horace Walpole (die 9 mens. octob. 1771) scripsit et in qua Goldonii fabulam « perfrigidam ineptissimamque » judicat.

2. *La casa nuova.*

fateatur et Gerontii amicum « Dorval » hortatur, ut pro se veniam a patruo petat. Ejus soror Angelica in miseriis etiam versatur, quod Valerium amat, nec amorem confiteri, iram patrui timens, audet ; immo fratris uxorem fratremque ipsum sibi adversos putat, cum se illum in monasterium arbitretur inclusurum, ut dotem usurpet.

Ab initio jam explicatur Gerontii indoles, dum cum Angelica loquitur, quam, patris instar, amat anxiamque videns, quid sibi occultet, comperire quærit. Rem autem parum dextre aggreditur, ut vir ad irascendum pronus et qui longa cælibe vita mulieres tractare nunquam didicerit. Itaque miseram exterret Angelicam, quæ interrogata num quemdam secreto virum amet, tacet primum ac tremebunda negat, nedum respondere audeat. Hanc ergo amore vacuam existimans patruus, uxorem dare amico Dorval intendit, sedata mente viro annisque maturo, licet Gerontio junior sit, cujus æquo animo promptos fert impetus.

Dum ambo amici latrunculis ludunt, Dorval Gerontius subito interrogat num sibi virginem ducere placeat, cui magna dos est et quam ditiorem etiam faciendam decreverit. Rem primum miratus, Dorval dubitat ; inde, vehementer instante amico, ea conditione annuit ut consentiat Angelica, ad quam tentandam properat. Illa autem audita, quamvis sibi virgo valde placeat, inæquales fore tales nuptias seque adulescentulæ maturiorem intelligens, invitus, sed ut virum urbanum decet, proposito se abdicat polliceturque immo virginis, secretum amorem confessæ, causam se apud patruum defensurum.

Interea diutius morari nequit Dalancour, qui uxorem ipsam quantum impediatur celare non valet, interrogantique cur tam subito mutata sit indoles, cur tam anxius sollicitudinibus agitetur, respondet : « Non jam toleranda es ! »

— « Te potius infelicissimum ! ait mulier, qui primum mecum sic agis. »

Sed, quibusdam verbis inopinanter ab Angelica auditis, mariti

rem familiarem in dubio versari uxor intelligit, et nondum quid timendum sit bene certa, patruum adit, veroque cognito, ream se confitetur, quæ tamen nescia peccaverit, virumque culpa liberare conatur; cumque vehementissime moveatur, vox animusque eam deficiunt. Gerontius, quem duritiæ suæ pudet, ægrotantem fovet, rem in integrum restituere paratus, cum auditur Valerium, Angelicæ sponsum, de negotiis, quibus implicatur Dalancour, certiorem factum, illi facultatibus et fide auxiliatum esse, dignumque hac benignitate se ostendisse qui sororem ducat. Operam suam generoso animo Dorval interponit ut nuptiæ contrahantur, hospitiumque in domo sua fratris filio ejusque uxori Gerontius præbet. Premuntur tandem aulæa, dum fletibus spectatores indulgent totamque vident familiam circa mollitum « Morosum » conglobatam.

Ætatis quidem propria nota hæc fabula signata est, quo tempore omnes homines tenerum sensum affectabant. Malum enim quemdam inter tot personas frustra requiras incertumque restat utrum potius sit probandus Gerontius, an vituperandus; itaque nonnulli culpæ poetæ vertebant quod et Gerontium ipsum ad imum mirari cogerentur[1], nec virtus a vitio satis discerni posset. Validiorem autem fabulam non tulissent qui aderant, et qua animadvertendum esset quantum aliis vitio suo Gerontius nocere posset. Vehementior enim molliore sensu præditis visa est scæna quædam, in qua Gerontius servum iracundus primum vulnerat, eumque postea, miseratione motus, fovet; immo flebiles fabulæ partes nimia indulgentia plerique laudabant.

Animadvertebant tamen, « licet Gerontius in pulpitis novam sapidamque personam, et in vita frequentissimam, ostendisset, validius comœdiam scriptoris mente conceptam quam opera perfectam fuisse[2], aptioremque videri Goldonium ad fabulas quæ ex

1. Grimm, *Correspondance littéraire*. Ed. Tourneux, t. IX, p. 389. Epistolæ, quæ de *Moroso benefico* loquitur, nomen subscribitur : « Madame *** » (Mme d'Épinay).

2. Grimm, *loc. cit*. Bachaumont, *Mémoires secrets* (die 5 mens. novemb. 1771).

improviso recitarentur scribendas quam ad scænas scite explicandas, etsi personarum sermones naturæ proximi essent ». Peritiores etiam indoles diversas desiderabant, quos fugiebat revera animi tranquillitate Dorval iræ impotenti Gerontio valde repugnare. Rectius autem judicassent qui Gerontii optimum ingenium vitio corruptum esse dixissent, cum et nescius, quos maxime diligit, ira torquet; hujus vero culpæ obliviscebantur, dum fabulæ nodum feliciter expeditum videbant, cum, si callidius esset explicata, comœdia multo magis moribus profuisset.

Inter tot laudantium una vox absona audiebatur : Collæus[1] scilicet Goldonii fabulam improbat tædiumque allaturam eam judicat ; ne nova quidem illi « Morosi benefici » indoles videtur, quæ Stomachosi, Iræ impotentis, ac Ferocis particeps sit. « Rusticum, nec tolerandum » hominem nominat « bajulumque, qui verbis conditioni suæ minus convenientibus utatur ». Nimium quod peregrinis indulgent æquales suos increpat : a fautoribus promissa miracula non prompsisse Goldonium, cui tamen, anglicorum hispanicorumque poetarum in hoc simili, multam imaginandi atque inveniendi copiam adesse fatetur ; « cum autem rationi, naturæ veroque repugnantia plurima scriptores isti invenerint, jure gallicos criticos talia contemnere posse ». Non Goldonium solum, quodcumque autem erat externum Collæus oderat[2], cumque multo tantum labore ut suæ comœdiæ in Gallico theatro agerentur obtinuisset, mirabatur ægroque ferebat animo peregrinum hominem se feliciorem fuisse. Itaque non satis æque quid novum sit in Goldonii fabula agnoscit, quanquam non omnino errat, cum de illius intemperata imaginandi copia loquitur, cumque validiorem eum esse ad inveniendum dicit quam ad apte et concluse disserendum. Nihil autem aliud ea ætate Gallos magis deficiebat, quam vis imaginandi; qua ratione externis scrip-

1. *Journal de Collé*, 1771.
2. Vid. Sainte-Beuve, *Nouveaux lundis*, t. VII, p. 370.

toribus favere incipiebant et utile videbatur quodcumque nostram pæne exhaustam venam ditiorem facere poterat, nec strictius observabatur quod novitate placebat.

In stilo præterea *Morosus beneficus* maxime claudicat, quod quidem et in italicis ejusdem poetæ fabulis apparet, exceptis tantum quæ veneta dialecto scriptæ sunt. Multo tamen melius hæc comœdia lingua valet quam *Commentarii,* quos in senectute composuit Goldonius, hebescente jam calamo, et qui solœcismis abundant. Quidquid id est, mirandum peregrinum hominem, qui tres et quinquaginta annos natus in Galliam venisset, postquam apud nos novem annos tantum permanserit, nostro sermone feliciter usum fuisse. Errant enim qui *Morosum Beneficum* italica lingua primum scriptum posteaque translatum arbitrantur: gallice contra fabula composita et mente concepta fuit, originisque nota, ut ipse scriptor ait, in sententiis, imaginibus, moribus ac stilo signata est. Immo Gallia ex novis Goldonii italicis fabulis redolebat, quæ, cum in Italiam mitterentur, nec vetus tenor, nec gentis, cui destinabantur, agnoscebantur mores et, quamvis hæc opera popularium auribus a Goldonio accommodarentur, mediocres ea jam nunc plausus accipiebant.

Meliore successu quem in Gallia invenerat fretus, alteram scripsit gallice fabulam, cui *Prodigum simulans avarus*[1] titulus est, quaque nova tenuisque indolis varietas iterum significabatur. Minutatim in *Commentariis* explicatur hæc comœdia, quæ semel tantum ante regem acta fuit, quamque Lutetiæ recitare, nisi prius correctam, comœdi negaverunt.

Nec jam enim novitatis gratia placebat peregrinus poeta, cumque unus inter multos Goldonius fieret, difficiliores judices inveniebat; progrediente etiam ætate, animi æstus languescebat. Itaque tali modo fortunam iterum experiri desivit; comœdias tantum cantibus ornandas, quarum et titulos in *Commentariis*

1. *L'avare fastueux.*

non semper exacte designat, scripsit, tranquille ceterum reliquam vitam agens, interdum et amicos visens modiceque laborans, ut mentis vigor non omnino aboleretur. Cum tardior esset ei somnus, nonnunquam, ut obdormisceret, animum ad hunc venetæ dialecti vocabulorum indicem revocabat, quem prius inceptum, nocturnæ vigiliæ tantum depellendæ gratia, rursus aggrediebatur, spem nunquam remedium fefellisse confessus.

Interea etiam *Commentarios* scripsit, qui nihil fere aliud sunt ac longus fabularum suarum index, in quo cujuscumque, vel minimæ, argumentum exponitur, librumque amicorum et patronorum sumptibus edidit. Scriptoris effigies in primo limine sculpta[1] exponitur, nec opinionem fallit, quam de viri indole e scriptis concipere possunt; facie enim tranquilla et aperta, ore molliter subridenti naturæ bonitas ac morum facilitas ostenduntur.

Novis rebus, quibus paulo post agitata fuit gallica respublica, reliqua senis vita graviter conturbata est; annua tamen pecunia, quæ illi a rege assignata fuerat, destitutus, parem a summo populi Conventu[2] obtinuit. Pridie autem ejus diei, qua hæc injuria reparata est, de vita decesserat Goldonius beneficiumque ad senis conjugem translatum fuit.

Erga Galliam, quæ longum hospitium præbuerat, gratum se gessit poeta eamque alteram sibi patriam esse arbitrabatur. Nec illa etiam Goldonii fuit immemor atque in via, qua sita hujus domus erat, lapis recenter positus est, in quo legitur :

HIC
PAUPER DECESSIT
DIE SEXTO MENSIS FEBRUARII 1793
CAROLUS GOLDONIUS
CUI « ITALICUS MOLIERUS » COGNOMEN,
MOROSI BENEFICI SCRIPTOR
VENETIIS NATUS ANNO 1707.

1. C N. Cochin delin. 1787. Le Beau sculp.
2. Vid. *Journal de Perlet* (8 et 10 février 1793).

VIII

DE GOLDONIO GALLORUM IMITATORE

« Italicus Molierus » appellatur Goldonius, ut vidimus, in lapide, quo Lutetiæ illius memoria servatur, quanquam et ipse tantam laudem pro meritis suis nimiam esse fatebatur[1]. Gallicum enim comicum ad id virtutis fastigium pervenisse aiebat[2], quod monstrare tantum antiqui valuerint, nedum recentiorum ceteri attigerint. Fabula molierana, cui Μισάνθρωπος titulus, illi præsertim exactissimum opus videbatur, quod sæpissime lectum, antequam in Galliam veniret, nova semper voluptate recitatum audiebat[3]. Molieri « alumnum tantum se imitatoremque » vocari sinebat, nec autem qui, servorum modo, magistri vestigiis instaret; Molieri enim exemplum Goldonius maxime secutus est, cum sibi comœdiam indoles retractantem, fabulis, quæ implicatis eventibus constent, prævalere placuit, magistri ceterum agendi rationem potius quam comœdiarum argumenta imitaturus.

Utriusque sane personæ partes suas intra domesticos parietes agunt ostenduntque quantum violentis affectibus domus conturbetur, quantum patriæ potestati inveteratum vitium noceat, dum peccantes eros imitantur servi; majore autem cura cavet italicus

1. *Mémoires*, t. III, p. 79.
2. *Ibid.*, t. I, p. 324.
3. *Ibid.*, t. III, p. 29.

poeta ut ipse, quæ vitanda sint, moneat, nec spectatorem sinit, recitata fabula, eadem concludere; sed dum hoc modo moribus utiliorem se futurum sperat, revera minus prodest. Res externas alioqui non tam æquo animo profert ac Molierus; is propriam, ut ita dicam, personam abdicans, secretissima atque intima, quæ sunt in Simulatoris, Avari, Ventosi nec non Plebeii pectore, ut ceteros omittam, aperta videt, cui rei adeo incumbit, ut præcepta res tanta cura notatas consecutura edere ipse omittat. Videant ipsi auditores ut vitia vitent, quibus homines tam ridiculi fiant.

Strictius etiam curat Goldonius ut legitime actio explicetur, nodus solvatur, spectator contentus domum redeat; unde fit ut ad imum totæ convertantur personæ, quo quidem offenditur quicumque humanæ vitæ non omnino rudis est. Goldonium igitur circum præcordia tantum lusisse merito dicas, Molierique agendi rationem ignotis antea tenuibusque colorum varietatibus renovandam tentavisse. Fit enim apud nostrum, exempli gratia, « Morosus beneficus » qui apud Molierum Μισάνθρωπος erat; illius « Avarus » fastum amat[1] aut zelotypia torquetur[2]. Felicem quidem hac novitate successum nonnunquam scriptor obtinuit; interdum etiam res male cessit, nam melius fuisset optime jam dicta omittere quam eadem tenuius ac levius repetere. Quidquid id est, adeo plagii crimen fugiebat Goldonius, ut Molieri non unam integram imitatus sit comœdiam, similitudinesque in partibus tantum invenias. Hujus rei, quæ ad id pertinent, tam multa sunt exempla ut in eligendis tantum hæreas.

Ita ex materia mere comica sumptos eventus ad seriam fabulam transfert Goldonius, cum in *Fida serva*[3] eadem materia adhibetur atque in *Viro qui ægrotum se arbitràtur*[4]; simulata enim morte intel-

1. *L'avare fastueux.*
2. *Il geloso avaro.*
3. *La serva amorosa,* Act. III, sc. 16.
4. *Le malade imaginaire.*

ligit maritus quantum, ficticium amorem mentita, uxor utilitati suæ revera inserviat. In *Adulatore*[1] notam Molieri *Avari* scænam reperimus, qua idem servus vicissim coqui et aurigæ speciem induit. In eadem fabula ab « Adulatore » sermonis tenor ac forma mutatur, cum procedentem matrem filiæ, quicum loquitur, videt, ut in *Avaro,* cum Valerius Elisæ patrem præsentem sentit. Ceterum adulatoris Sigismundi habitus totus ejusdem Valerii in mente memoriam refricat, qui et ipse Harpagoni blanditur, quo gratior fiat. Adventiciam ibi personam in præcipuum longe alius fabulæ heroem convertit Goldonius.

Amantium controversia in *Amore paterno*[2] atque inter ambos iterum gratia redux animum ad Molieri fabulam celeberrimam[3] revocat. Alio in loco[4] manifesta apparet hujus *Avari* scænæ imitatio, in qua, supposita persona, nummos proprio filio Harpago iniquissimo fænore mutuos dat. In *Urbano equite*[5], a duabus mulieribus, amita atque illius fratris filia, amatus comes Octavius eodem modo impeditur ac Molieri « Dominus Joannes » inter duas feminas, quibus ambabus se ipsas ducturum spopondit.

Eamdem etiam fabulam[6] imitatus est Goldonius, liberius autem mutataque personarum conditione, cum avunculus quidam[7] sororis filium, qui pecuniam mutuam sumptum venit, benigne accipit, multa de salute illius, de sorore rogitat, de futuro matrimonio inquirit, sed, quotiescumque adulescens de creditoribus, a quibus lacessitur, mentionem facit, sermonem incidit iniquum ac de ceteris rebus loquitur. Urbanissimis utens verbis juvenem tandem reducit, cumque ille, vacuis loculis, foras exiit,

---

1. *L'adulatore,* Act. II, sc. 8.
2. *L'amor paterno,* Act. III, sc. 2.
3. *Le dépit amoureux.*
4. *L'uomo di mondo,* Act. III, sc. 3.
5. *Il cavaliere di buon gusto.*
6. *Don Juan.*
7. *Il ritorno dalla villegiatura.* Vide *Mémoires,* t. II, p. 231.

servos compellat avunculus cenamque sibi parari citissime jubet. Hic non virum, genere insignem, invenias, qui bonis tantum excipit plebeium hominem verbis, ut eum pacta mercede fraudet, avunculum autem, mediocri conditione, qui se unice amat ac misero sororis filio auxilium omnino negat. Sed utraque scæna eodem gradu procedit et utrique personæ eadem est agendi ratio.

Sæpe apud Molierum servos invenias qui, mutato modo, ab eris acta renovent [1]. Quam variandæ actionis occasionem non omittit Goldonius, eosdem ostendens apud omnes homines esse affectus, disparibus sane moribus ac conditione, paribus autem studiis atque libidinibus. In *Prudente uxore* [2] male vivit comes Octavius cum conjuge Rosaura, quam derelinquit, in meretriculam quamdam amore ac cura omni translata. Hujus servus Brighella uxorem habet Corallinam, Octavii uxoris ancillam, quæ imperiosa est virago et in maritum fastidiosa. Decrevit tamen Brighella erum se imitaturum potestatemque, quæ viri sit, se strictius exerciturum; cum igitur comes foris pernoctat, statuit sibi in sella vigilandum, nedum et ipse cum conjuge dormiat. Ut primum venit Corallina, hortatur se noster ut in voluntate maneat, quanquam valde timet ne a proposito consilio cito se abdicet. Uxorem igitur eo secuturum se negante, stomachatur femina : — « Vocem deprimas [3], te amabo, ait maritus, timeo ne erus te audiat. » Minatur Corallina ; vir in ambiguo hæret, potestatis autem conscientia fretus in consilio perstat, dum Corallina, animi firmitudinem mirata insolitam, sermonem mutat maritumque jamdudum desuetis excipit blanditiis.

Nonnunquam et adventiciis personis utitur Goldonius, quæ

---

1. Vide *Le dépit amoureux* ac præsertim scænas inter Erastum et Luciliam, « Gros-René » et Marinettam.

2. *La moglie saggia.*

3. Act. I, sc. 18.

præcipuas Molieri personas imitantur. Sic Beatrix in *Vero amico*[1], licet jam ætate maturior sit, se ejus etiam esse formæ, ut Belisa in *Doctrinam affectantibus mulieribus*[2], in animum sibi inducit, quæ juvenibus amorem inspiret. Silvius in *Amore paterno*[3] ad effigiem τοῦ Μισανθρώπου aperte fictus est, cujus exemplo urbaniorem vituperat dissimulationem, qua erga ceteros affectatum studium plerique mentiuntur.

Cum materiam ipsam a Moliero jam tractatam resumit Goldonius, processum ac sermonis tenorem mutare atque argumentum nova nota signare conatur. Jam in comœdia, cui : *Virgo quæ se ægrotam simulat* titulus[4], Molieri opus corrigere Goldonium tentantem animadvertimus, cum italico poetæ gallicus in medicos severior visus esset. In *Jurgiosis mulieribus*[5] eadem fere fabula est ac *Plebeii viri nobilitatem affectantis*[6]; in serium autem mutata est comœdia lepidissima. Molieri immo fabulæ, cui *Dominus Joannes* titulus[7], memoriam abolere Goldonius tentavit, quam miserrimam judicabat, quippe qui declararet[8] se nunquam intelligere potuisse urbanæ genti tam ineptum jocum frequentissimo theatro diu placuisse[9].

Molierus, quem tempus urgebat atque ei novæ fabulæ semper scribendæ erant, suæ comœdiæ materiam ex italicis actoribus, qui tum Lutetiæ agebant, sumpserat, nullius autem ponderis et artis

---

1. *Il vero amico.*
2. *Les femmes savantes.*
3. *L'amor paterno.*
4. *La finta ammalata.*
5. *Le donne puntigliose.*
6. *Le bourgeois gentilhomme.*
7. *Don Juan* ou *Le festin de pierre.*
8. *Mémoires*, t. I, p. 309 sqq.
9. Nescit quidem noster quis primus hanc materiam tractaverit hispanicæque fabulæ (*El burlador de Sevilla*) scriptorem Calderon de la Barca in procemio nominat, cum hoc argumentum princeps Tirso de Molina invenerit.

illisque simillimam quas in Italia actas viderat Goldonius. Citissime fabulam soluta oratione scripsit Molierus; tantum autem ei erat ingenium, ut quamlibet materiam, etsi tritissimam, tractare nequiret, quam non sua nota in æternum signaret. Dum ad eventum festinat, nec longius disserere videtur, multa dicit, quæ dissoluti animum penitus illustrant, viribusque fretus anilem fabulam non fastidit, in qua tamen se et philosophum et poetam maximum visum iri confidebat.

Delicatiorem se Goldonius in fabula, quam, eodem titulo[1] sumpto, scripsit, præstaturum esse arbitratus est. Dei enim nomen ne usurpetur cavet in comœdia, quæ maxime religiosa fide cum validissimis affectibus summoque divini numinis contemptu luctante valuisset et, quanquam recentioribus temporibus res agitur, generaliter tantum de cœlo, de numinibus loquitur aliisque hujusmodi utitur verbis, quæ tunc nobiliora et tragœdiæ magis convenientia plerisque videbantur.

Ut veram rationem strictius insequatur, servum etiam excludit, quo tam feliciter usus erat Molierus, ne candidæ fidei, aut potius territæ superstitionis speciem præbeat, qua tam valida cum erili impietate oppositio fit. Hanc enim impietatem nimiam vituperandamque censet Goldonius, « quæ talibus apud Molierum exprimitur verbis, ut et dissoluti ipsi offendantur, ait, præsertim cum animata statua in scænam procedit et loquitur ». Itaque, ne cui nequitiæ exempla præberet, neve increduli deriderent, statuam incedentem suppressit, fabulæ fine mutato. Fulmine quidem impius percutitur, « quia necesse sit ut improbus pœnam solvat debitam, nec autem cœlestis numinis ictu, ut ita dicam, proprio; res enim ita instructa est, ut eventus etiam minoribus accidere causis possit, quæ tamen divinæ providentiæ legibus semper reguntur[2] ».

Melius, mea quidem sententia, egisset Goldonius, si talem

1. *Don Giovanni Tenorio* o *Il dissoluto*.
2. *Mémoires*, t. I, p. 310.

materiam omnino omisisset, aut hispanicam fabulam plane transtulisset, nedum, nimiæ correctionis amator, omnia, nervis viribusque fractis, mutasset. Necesse enim, si quis hujus generis opus aggreditur, ut eo tempore vivat, quo religiosa fides validissima floreat, sicut in Hispania, Philippo secundo regnante, aut philosophus sit, superstitione minime imbutus, qualis ipse Molierus, qui talem materiam ut merum scribendi argumentum sumpsit, liberiore modo tractandum.

Cum Moliero iterum congressus est Goldonius in nonnullis comœdiis *Avarum* imitantibus, quarum notissima titulum habet : *Verum amicum*[1], ubi duo videntur amici, quorum alter alteri virginem, avari cujusdam filiam, ab utroque amatam cedit. Culpandus quidem est scriptor, qui ad duplicem fabulam attentum fore spectatorem speravit, dum flebilem quamdam actionem comico argumento assuit. Magis fortasse Goldonii æqualibus placebat amicum amici gratia de amore generosius desistere, cum nobis majoris ponderis videatur avari Octavii, Rosauræ patris, indolem observari.

Quidquid id est, liquet tamen Goldonium in illustrando Avari animo Molierum vincere tentavisse. Primo actu enim apparet Octavius, qui laceratam chartam humi jacentem recolligit, vel minima usui futuro servanda putans, et servum Trappolam increpat, quod æs suum rei domesticæ administrandæ prodigat. Ne a mercatoribus fraudetur, venditorum ovorum magnitudinem anulo ea tantum de causa facto experitur ; fusos ipse torquet in ambulando, ne vel minima temporis pars frustra consumatur, dumque colloquitur, candelam exstinguit, ne citius, flante ventulo, absumatur.

Dives quamvis sit, indotatam filiam nuptum collocare tentat, cumque Lælius, qui virginem petivit, rei familiaris mediocri-

---

1. *Il vero amico.*

tatem allegans, negat se sine dote uxorem ducturum, respondet pater his verbis, quæ tali venientia ab ore risum movent: « Num ipse avarus es? » Quo audito, Florindus, Lælii amicus, ab eo optatum matrimonium abdicandum intelligens, se indotatam virginem sumpturum proponit, pactaque nuptialia chartæ fragmento inscribuntur, quod prius recollectum avarus servandum in occasionem curavit. Immo Florindus se ante nuptias pecuniam uxori daturum promittit, sed, cum ea pecunia tantum solvenda sit si uxor moriatur, aut repudietur, rem incertam ut caveat, petit pater ut a genero sustentetur filiæque parapherna vestibus emendis constituantur. Ipse pannum se venditurum spondet, quem incidet Corallina ancilla, speratque Octavius tantam telam reliquam fore qua ipsi aliquot subuculæ efficiantur. Capsulam etiam habet, in qua recondita est pecunia, quam secreto contemplatur et quæ, positis in fænore nummis, in dies crescit. Furto ea subripitur, quod idem fit in *Aulularia* et in Molieri *Avaro,* sed quantumvis, audita fraude, motus sit Octavius, antequam furem insecuturus abeat, curat tamen ut exstinguatur lumen quoddam, quod inutiliter consumitur.

Facile agnosci potest quam similis hæc fabula Molieri *Avaro* sit, sed in eo maxime Goldonius culpandus mihi videtur, quod Octavius adventicia tantum persona est, ob hanc unam causam admissa ut, quantum amet verus amicus amicum, appareat. Nam, cum Rosauram pauperrimam esse existimat Florindus, amorem fateri non dubitat; cum autem certior fit ejus patrem, capsula recuperata, esse divitem, eam Lælio uxorem cedit idem, ne amicus occasionem rei familiaris locupleti matrimonio restituendæ omittat. Sed altero tantum de latere ostendi personam, qualis avarus est, non decet; convenit immo in eo integram insistere fabulam, tanta est illa cupido, in qua totus versatus animus omnem, ut ait M. Tullius, humanitatem exuit. Harpago nec jam pater est, nec etiam amat, cum in dubio pecunia ponitur; ea tantum conditione spectatores detineri possunt.

Celeberrimus quidem germanicus criticus[1] Moliero vitio vertit quod duos simul prævalentes affectus Harpagoni ita dederit, ut, visa hac comœdia, contenti domum redire possint et senex qui amori, et qui avaritiæ inserviat. Alter enim dicet : « Amoris culpa saltem vacuus sum », et alter : « Avaritia saltem careo. » Recte, mea sententia, grammaticus ille vidisset, si paribus examinarentur ponderibus ambæ cupidines. Cuique autem notum est res non ita se habere : avaritiæ enim citissime amor cedit, nam, quamvis blando sermone Harpagonem Phrosina delinire tentet, facilem præbere aurem homo statim desinit, ut primum aliquid pecuniæ de capsula hauriendum esse videtur. Hoc enim præcipue Molierus valet, quod Harpago non, ut Octavius, quivis unus ex avaris est. Non tantum virginem amat, cultus vero quidam ac dignitatis species illi servanda sunt. Servos habet, sed quorum vestes pertusæ aut maculatæ; equos in stabulo, sed fame laborantes; currum, sed quo festis tantum diebus utitur. Multo congruentius studiis suis viveret, si, abdicato tali apparatu, in cenaculo eodem modo ætatem ageret, quo miseri illi quorum mors interdum vulgatur, et qui, magna pecuniæ summa coacervata, apud intactum suum thesaurum inedia consumpti sunt. Isti quidem avaritia Harpagonem longius procedunt, nec tamen risum moventes, quod diversa ac contraria studia in eorum animo non luctantur, nec, quamvis frustra, contendunt ut decoris species cum discordanti ac prævalenti cupidine accommodetur.

Quæ cum sentiret Goldonius, eamdem personam, novis semper colorum varietatibus huic indoli additis, retractare tentavit. *Avarum* enim alterum in theatro[2] paucissimis spectatoribus scripto invenias, qua in fabula plurimas lineas Octavii effigiem prius designantes poeta iterum duxit; præterea eamdem materiam in

---

1. Schlegel. *Vorlesungen über dramatische Kunst und Literatur*, XII.
2. « Théâtre de société. » *L'avaro*, comœdia in uno actu.

duabus aliis fabulis: *Zelotypo Avaro*[1] et *Avaro fastum amante*[2] tractavit.

Quarum comœdiarum prior minime valet. Pantalo, venetus mercator, avaritia simul ac zelotypia torquetur; dona, quæ eximiæ pulchritudinis uxori suæ feruntur, libenter accipit, sed sese occultat, ut abdite amatorum secreta cum conjuge colloquia audiat. Uxori pecuniam subripit clam a patre datam; nummos magno in fænore ponit et, cum in eo est, ut a magistratibus deprensus in carcerem conjiciatur, conjugem mavult apud patrem redire quam thesaurum se perdere. Sed subito, dum cogitat venturam esse diem, qua mortalia bona abdicaturus sit, vivendi modum omnino vertit promittitque se in futurum rari exempli maritum fore.

Argumentum sane vere comicum in *Avaro fastum amante* reperire est, qua in fabula, gallico sermone scripta, avarus quidam ostenditur, qui dissolutioris liberalitatis ita speciem affectat, ut, eum prodigum esse existimans, virginis mater, quam ducturus sit, hoc vitium perosa filiam ei neget. Re tandem cognita, alteram repulsam homo refert, quia avarus invenitur; itaque utriusque vitii vicissim pœnas dare cogitur. Ingeniose, hercle! id fictum; quantum autem distat tale argumentum a Molieri *Avaro,* qui longe altius humanæ mentis intima perfodit! Apud gallicum poetam nulla fraude, nullo errore deciperis, nec istius modi dolis spectatoris animus deluditur; quodcumque evenit, ex ipsa Avari indole oritur. Goldonius saltem, cum tanto viro æmulari studens, omni cura in unum intendere debuit, nec in tribus aut quattuor comœdiis vires ita dispergere, ut in quaque longe inferior fieret.

Iterum in Molieri agrum incursare tentavit noster comœdia quadam, cujus præcipuas partes gallicus poeta ipse tenet. *Tar-*

1. *Il geloso avaro.*
2. *L'avare fastueux.*

tuffum jam in Italia imitatus erat Giglius[1], qui hanc materiam in fabula, cui *Don Pirlone*[2] titulus est, tractaverat. Idem et audacter aggressus est Goldonius, qui pietatis simulatori nomen Pirlonem etiam assignavit. Hæc autem comœdia[3], in qua recollectæ sunt fabellæ, quæ de Molieri vita vulgabantur, potius erga magistrum ab imitatore et alumno pietatis opus, quam fabula in qua simulatoris indoles reviviscat, esse videtur. Occasione etiam usus, simul et Goldonius correctionem defendit, qua gentis suæ scænam emendare tentaverat.

Incipit actio anno 1667, dum Galliæ rex Ludovicus quartus decimus in Belgio militabat, ac tabula, cui nomen *Simulator*[4] in dubio erat ut coram populo recitaretur. Colloquitur Molierus cum Leandro (Chapelle), cui se impeditum molestiisque confectum esse fatetur : regem legisse et probasse comœdiam ait recitandæque licentiam dedisse, verbo tantum, ita ut judicum suprema Parisiensis curia, ne eadem publice ageretur, interdicere non dubitaverit ; itaque a Moliero Valerium (Baron) ad exercitum missum, licentiam novam petiturum, eumque singulis exspectari momentis. Quantam autem sollicitudinem quantumque sibi esse laborem, ut difficili domino, populo scilicet, satisfaciat[5], ingrato erga virum, qui scænam a scurrilibus jocis liberaverit et a fabulis ex improviso recitatis, ineptos tantum delectaturis ! Se tandem fere pœnitere, quod forensi orationi, theatrum culturus,

---

1. Girolamo Gigli (1660-1722).

2. O *Il falso Bacchettone* (Lucæ, 1711). Vid. *Tartuffe en Italie* a J. de Filippi (*Le Moliériste,* 1884, t. VI, p. 105 sqq.).

3. *Moliere,* comœdia quinque actibus ac versibus composita.

4. *L'imposteur.*

5. « Un uom che ha il peso grave di dar piacere altrui,
Non può si lietamente passare i giorni sui. »

Quæ verba notam Molieri sententiam in memoriam revocant : « C'est une étrange entreprise que celle de faire rire les honnêtes gens. » (*Critique de l'École des Femmes,* scène 7.)

valedixerit[1]. Quibus molestiis addendum domum ipsam conturbatam et se ab invidiosa muliere torqueri[2], quæ, justas affectans nuptias, juniorem venustioremque filiam[3] oderit.

Hæc jam in secunda scæna apparet, ubi maturius illiberaliterque festivam se ostendit. Molierum amat remque aperte illi declarat, quicum connubium cupit, ut matris potestatem effugiat atque in scænico grege primas partes teneat. Redit tandem Valerius, regis jussum afferens, quo fabulam recitari licet. Eodem temporis puncto Pirlo prodit secundusque actus, omnium optimus, ejus artificiis occultisque fraudibus impletur. Dives mercator, et inter civitatis proceres numeratus, Pirlo in Molieri domum clam irrepit, ac primum ab officio servam[4] avertit, pollicitus ejus apud semetipsum meliorem conditionem fore, quæ unius viri procuratrix fiat, nedum duabus feminis, alia cum altera simultates exercente, serviat ejusque erus, natura iracundus, cum versus secum meditetur, miseram increpet.

Guerrinæ[5] amoris sui in Molierum confessionem callidissime extorquet Pirlo eamque hortatur ut artem relinquat, qua æterna salus in dubio versetur. Virginis matrem tandem visit illamque de Molieri occulto cum filia commercio certiorem facit, quod perfide culpa vacuum esse negans, addit poetam cum virgine de secreta fuga, *Simulatore* ante populum peracto, convenisse. Quibus auditis, partes suas in nova comœdia se defensuram mater negat filiamque abducere decernit, missionem serva efflagitat, Molierumque desperatio invadit, quod, frequentissimo consessu

1. His verbis sibi ipsi Goldonius alludit, qui plurimos annos causas peroraverat, cum Molierus, licet jus didicisset, neminem ante judices defendisset.

2. Madeleine Béjart

3. Armande.

4. La Forêt.

5. Armande Béjart. Cuicumque notum Molieri viduam comœdo « Guérin » iterum nupsisse. Quam forte ob causam « Armande Béjart » in goldoniana comœdia « Guerrina » appellatur.

in diei serum nuntiato, contumeliam timet ne patiatur, cum vacuam scænam spectatores visuri sint.

Res autem sequenti actu omnino mutatur : concedit enim Magdalene « Béjart » ante populum cum filia prodire, ne semetipsam ac Molierum perdat, vulgata amborum tali momento dissensione; serva, quam ingrati erga erum animi pœnitet, Moliero auxilium fert ut Pirlo deludatur, simulansque se mercatoris amori indulgere, illum hortatur ut petasum togamque detrahat et, janua pulsata, citissime lateat; tum induvias ejus Valerio dat, quibus Molierus Tartuffi partes agat. Summo plausu fabula excepta, indignatus populus Pirlonem quocumque quærit, ut ab illo pœnas exigat; quod miser præsagiens Molieri ancillæ plurimos nummos promittit, ut sibi usque ad noctem in ipsa adversarii domo latere concedatur.

Dum omnium laudibus extollitur poeta, Armandam in cubiculum introeuntem videt, quæ nocturno vestitu aufugit oratque eum ut sine mora se matri raptam uxorem ducat. Virginem primum dimittere vult Molierus, precibus autem hæc tantum insistit, ut nuptiarum anulum puellæ induere cogatur, ne diutius maneat. Mater, filiam quæritans, eam tandem cum poeta reperit, et matrimonio assentit, dum Pirlo, qui a latebris exit, veniam petitam obtinet polliceturque se in futurum vitium abdicaturum et Molierum, quantum valeat, defensurum.

Satis diligenter hujus comœdiæ secutus est scriptor quæ de Molieri vita, sua ætate, vulgabantur, quanquam in posterius illius nuptiarum diem aliquanto removit. Legentem quidem retinere fabula potest, nodusque bene explicatur; nihil autem novi de Molieri mente ejusque ingenio discimus, nec quomodo fabulas componeret, hominum pectora scrutaretur actisque commoveretur, quæ indolis vivam atque animatam effigiem reddunt, videmus. Non multa etiam dignitate utitur in scænam productus poeta inter duas mulieres, quæ ut ipsi nubant contendunt. Mater autem morosa est, æquo liberior filia, Pirloque, qui secundo

actu callidissime agit, optime inceptum corrumpit; subito enim, imparatoque spectatore, rationem mutat et totus convertitur, quod veri multo longius dissimile est quam si nonnulla ex his mutavisset Goldonius quæ de Moliero narrantur.

In *Mendaciloquo*[1] cum Cornelio simul atque Hispano Alarcone idem congressus est, et ipse Voltarius notavit[2] quibus gallica italicaque fabula inter se similes sint atque etiam differant : « In goldoniana comœdia duæ res inveniuntur, ait, lepidissimæ : cum primum Mendaciloqui æmulus quidam simplicissimo animo omnia, quæ a priore ficta sunt, repetit et ipse ob hanc causam mendax invenitur, ac cum inde servus, erum imitaturus, in commenticiis fabulis se ipsum implicat, nec mendaciorum inextricabilem nodum solvere valet. Multo autem minus generosa est goldoniani Mendaciloqui indoles quam corneliani, et fabula gallica aptius explicatur, vividius scripta est, attentioresque spectatorum animos tenet. Præterea italica comœdia soluto sermone utitur : Cornelius autem, Menander, Terentiusque versibus usi sunt, quod quidem illis pro merito tribuendum, nam impotentiæ tantum, aut nimiæ properantiæ causa, recentiores soluta oratione comœdias scripserunt, quæ res prius insolita in consuetudinem postea cessit. » Animadvertit tamen Voltarius moribus utiliore modo goldonianam enodari fabulam quam cornelianam : apud Goldonium enim puniri, ut deceat, Mendaciloquum, qui improbus sit, odio ac contemptu dignus, cum eadem persona apud Cornelium Alarconemque nihil aliud sit nisi juvenis incautus atque inconsultus.

Bona Voltarii venia, dixerim e talibus verbis ætatem, qua scripta sint, graviter redolere, cum eo tempore dictis quam actis plerique bonis moribus magis faverent. Itaque non mirandum

---

1. *Il bugiardo*, comœdia tribus actibus et soluta oratione scripta (1748).
2. *Commentaire sur Corneille*. Ed. Beuchot, t. XXXV, p. 448-449.

Goldonium a Voltario laudatum esse quod Mendaciloquum suum ineptum ac vulgarem nebulonem finxerit. Sed ut tali indole homo a spectatoribus toleretur, necesse est ut vestitu cultus sit, habituque elegans, qualis Dorantes, et semper paratus ad armis satisfaciendum pro injuriis ventosa sua vaniloquentia factis, dum innocenter ac per jocum tantum loquitur. Justas dat pœnas goldonianus heros, cornelianus autem delicta satis luere videtur, cum iratus pater « tumido delitigat ore ». Tam diversis gravitate peccatis nempe non eadem pœna conveniebat.

Goldonianæ enim personæ mendacia non, ut theologi dicunt, læta, nec etiam officiosa, sed odiosa sunt. Non tantum a se paratum esse ait nocturnum ad dominæ fores concentum, versusque usurpat, quos alius, timidus amans, fecerit, sed denticulatum textum, quo Florindus Rosauram donavit, a se missum mentitur calumniaque fingit duas virgines sibi nocturno tempore aditum fecisse seque apud eas pervigilavisse. Dorantes saltem virginis nomen velut rem ipsam excogitat, cum se secreto nuptias contraxisse ait, nihilque eo melius illustrare valet quanto purior in Gallia, Ludovico tertio decimo regnante, quam Venetiis, Goldonii ætate, sæculi natura esset.

Venia etiam Lælius indignior, cum mentitur, quod illius fabulosæ inventiones a Pantalone interrogante interrumpuntur. Tempus enim ita datur, quotiescumque percontatur Pantalo, ad meditandum, cum in gallica fabula Mendaciloquus, qui continua oratione utitur, juveniliter effervescat ac verborum a se prolatorum impetu ipse, ut ita dicam, efferatur. Veneti tandem vitium non fortitudine excusari potest; Dorantem contra miratur Alcippes semper paratum esse ad fabulas inventas gladio confirmandas exclamatque : « Verum plerumque amat quicumque virtute est præditus ! » Lælius vero minime certandi cupidus videtur et, cum ad pugnam ab Octavio lacessitus est, cunctatur morasque nectit.

Hispanicum antecessorem in exsolvendo nodo secutus est Goldonius. Lælius enim, ut delictorum pœnas det, non Rosauram,

cujus famam læsit quamque sibi dare pater intendebat, ducet, Cleonicen autem, cui connubium spopondit et cujus, ipsius culpa, dos integra non mansit. A magistratu tandem deprensus in custodiam ire cogitur, donec fidem liberaverit.

Non Cornelium ac Molierum solos inter gallicos scriptores imitatus est Goldonius; plures enim est etiam secutus, qui minorem gradum in litteris obtinent, illa autem ætate nonnulla fama vigebant[1]. Sed multa fabularum argumenta a nostris scriptoribus si mutuatus est Goldonius, multa etiam ab illo hi sumpserunt[2], multaque in nostrum sermonem pure translata sunt[3], dum poeta in Gallia morabatur. Quod ille non semper æquo animo tulit[4]; dolebat enim tum ab aliis minus intellectum fuisse quid proprie verbis italicis significaretur, tum alios non assentientem poetam inconsultis exposuisse judiciis, qui comœdias externæ genti scriptas Gallis proponerent.

---

1. *Il re alla caccia,* cujus materia a Sedaine (*Le roi et le fermier*) et a Collé sumpta (*La partie de chasse de Henri IV*); *La vedova spiritosa,* a Marmontel (*Le scrupule* ou *L'amour mécontent de lui-même,* Conte moral); *Il padre per amore,* a Mme de Graffigny (*Cénie*); *La Peruviana,* ab eadem (*Lettres d'une Péruvienne*); *La Dalmatina,* a Mme du Boccage (*Les Amazones*); *La sposa sagace* et *La donna volubile,* a Destouches (*Le philosophe marié* et *L'irrésolu*); *Il poeta fanatico,* a Molière (*Les Femmes savantes*) et a Piron (*La métromanie*); *I due gemelli veneziani,* a T. Maccio et a Regnard (*Les Ménechmes*).

2. *Paméla mariée* a Valmaranges et Cubières, et posterius ab Amar du Rivier (Lugduni, 1801); *L'avocat* a Roger, e gallica Academia (1806), et *La jeune hôtesse* a Flins des Oliviers (1792), quæ duæ comœdiæ in Gallico theatro summo plausu acceptæ sunt, etc.

3. *Paméla* a D. B. D. V. (de Bonnel du Valguier), Lutetiæ, 1759; *La veuve rusée* ab eodem translata (1761); *Œuvres de M**** (1761) a Sablier; *Les chefs-d'œuvre dramatiques de Goldoni* ab A. D. R. (Amar du Rivier), Lugduni, 1801; *Le valet de deux maîtres* (1763); *La dupe de soi-même* (1784); *L'avocat vénitien* a Mme de Floncel; *La bonne fille,* opéra-comique arrangé par Baccelli (1771); *La famille de l'antiquaire,* transl. a Collet; *Molière* a Mercier (1776); *Le père de famille* a Deleyre (1758); *Le véritable ami* ab eodem (1758); *Les caquets* a Riccoboni, etc.

4. *Mémoires,* t. III, p. 74 et 286.

CONCLUSIO

Nec tantum in Italia et in Gallia Goldonius eo tempore florebat; multo etiam favore et in Germania fruebatur. Etenim eum plurimis in *Dramaturgiæ* locis celeberrimus criticus Lessingus laudibus effert[1]; jamque mentio facta est de singulari opinione

1. Vide *Dramaturgie de Hambourg* (transl. Crouslé), Lutetiæ, 1885, ac præsertim, p. 60 et 456. Ipse statuerat Lessing suo modo quinque veneti auctoris fabulas iterum scribere (*Herder* a Ch. Joret. Lutetiæ, 1875, p. 90; *Lessing et le goût français en Allemagne* a Crouslé. Lutetiæ, 1863, p. 90). Eodem suadente, qui Gallos a litterarum imperio evertere decreverat, ceterarum gentium scriptoribus plus æquo extollendis, J. H. Saal (Lipsiæ, 1769-1777) optimarum goldonianarum fabularum germanicam translationem edidit, ac J. Chr. Bock ejusdem poetæ nonnullas comœdias germanicæ scænæ accommodavit, quæ, magno plausu acceptæ, scænicæ arti ultra Rheni fines satis utiles fuerunt (*Geschichte der dramatischen Literatur und Kunst in Deutschland* von Rob. Prölz, Berlin, 1883). Schrœder, unus inter primos Germaniæ actores, partes sibi ipsi recitandas scripsit a *Moroso benefico* sumptas et a *Duorum erorum servo, Morosusque beneficus* variis titulis (Polterer, Murrkopf, etc.), finiente octavo decimo sæculo translatus est, atque in pæne omnibus germanicis scænis, frequentissimo semper consessu, fuit actus (*Chronologie des deutschen Theaters,* Lipsiæ, 1775). Kotzebue, qui ditiorem forte venam, undique materia sumpta, alere cupiebat, nonnulla argumenta a Goldonio mutuatus est (*L'osteria della posta* in : *Das Posthaus in Treuenbrietzen* mutatam, et : *La vedova scaltra* in ejusdem tituli fabulam : *Die schlaue Wittwe* oder : *Die Temperamente*). Blum, tandem, germanicæ scænæ nonnullas goldonianas fabulas adaptavit (*Mirandolina, Il ventaglio,* etc.), recentiorque poeta, Gutzkow, Goldonii *Molierum* in comœdia (*Das Urbild des Tartüffe,* 1845), quæ eamdem materiam tractat, imitatus est.

Gœthio insita utilitatis, quam ipse e *Chiozzotis disputationibus* ad venetos mores illustrandos perceperat. Goldonius igitur viris annumerari potest, qui ceterorum animos impulerunt, tanta in eo erat illa imaginandi copia, qua maxima ingenia plerumque prædita sunt, quæ autem in vitium desinit, si freno et norma caret. Fabulas enim plus quam ducentas[1] scripsit, nec omnes ipse unquam exacte numerare valuit, accidebatque ut in decem et octo illius theatri editionibus, quæ, illo vivente, nec semper assentiente, vulgatæ sunt, comœdias inveniret, quarum et titulus illum effugisset. Itaque non mirandum permultas merito oblivione obrutas esse, justa ipsius patris sententia.

Quod idem nonnullis criticis visum est. Confitebatur enim Collæus[2] « Goldonio non deesse multam inveniendi copiam eumdemque naturam fideliter in parvis secutum esse, sermone etiam usum expedito et fluento » ; addebat autem : « illius fabulas plerumque sine ratione, nec satis veri similiter delineatas, indolesque a natura vulgari sumptas ; ex optimarum etiam comœdiarum translationibus si judices, hunc scriptorem ne in tertio aut quarto quidem comicorum nostrorum gradu collocandum. »

Grimmius, contrariam primum, ut vidimus, de Goldonio opinionem professus, æquior factus est, postquam *Persicam uxorem* recitatam audivit. Schlegelo eadem fere sententia ac Collæo placuit, cum poetam veros mores quidem finxisse fatetur, sed qui communem vitam tantum retractent, eumque addit unamquamque rem tantum præstrinxisse atque easdem indoles continenter repetivisse. Idem est æqualis temporibus nostris[3] critici judicium

1. 241. Vide Appendicem.

2. *Journal de Collé* (mens. octobr. 1764).

3. Settembrini (*Lezioni di letteratura italiana,* Neapoli, t. III, p. 164). Vide contra quid de Goldonio majore favore dictum sit a Ferdinando Galanti (*Carlo Goldoni e Venezia nel secolo XVIII*. Patavii, 1882). Cf. quid Ignazio Ciampi in : *La vita artistica di Carlo Goldoni* (Romæ, 1860) dixerit et P. G. Molmenti in : *Carlo Goldoni* (Venetiis, 1880).

qui, Goldonii popularis, ei favere potius quam adversari videtur. Ad summam, Goldonium plerique confitentur multis ingenii donis ac virtute comica fuisse præditum, amplitudine autem caruisse. Itaque illum recentiores[1] multum a Carolo Gozzio distantem judicant, cui major poetica facultas erat atque ejus fabulæ (*Fiabe*) apud Venetos goldonianarum comœdiarum famam adæquaverunt.

De qua simultate in *Commentariis* paucissima Goldonius loquitur, aut potius pæne omnino tacuit, pro ratione semper se habuisse dicens ut malos omitteret, cum contra fautores suos ac defensores laudi sibi vertere licitum arbitratus esset[2]. Nomina igitur profert suorum amicorum, scilicet Robertii e Jesu societate, comitis Verrii, nobilis veneti Nicolai Berengani, comitis Landinii et Gaspardi Gozzii, æmuli sui Caroli fratris. Quibus annumerare etiam potuit et Albergatium, Bononiensem senatorem, et Scipionem Maffæium, qui celeberrimam *Meropen* scripsit, et Alfierium, quem in *Commentariis* magnis laudibus noster extulit, et Venetos patricios Widimanum, Grimanium, Vendraminum, et cunctos venetæ reipublicæ apud Galliæ regem legatos, qui Goldonio amicissime usi sunt, dum Lutetiæ morabatur. Post autem centum annos nos, hercle! minus religioni consulere decet, cum illa

1. Inter recentiores Gozzio maxime favit Philarète Chasles (*La France, l'Espagne et l'Italie au* XVII[e] *siècle,* Lutetiæ, 1877) ; Ginguené, in sua *Litterarum italicarum historia,* Gozzium vocat « l'un des auteurs les plus originaux et les plus véritablement italiens de ces derniers temps »; M[me] de Staël (*Corinne,* lib. VIII, cap. 2) censet Carolum Gozzium comicum esse poetam « dont le genre convient le mieux à l'imagination italienne » ; Ch. Nodier et Paul de Musset apud Gallos, Tieck, Hoffmann, W. von Schlegel apud Germanos in eamdem fere sententiam iverunt, Schlegel præsertim, qui in Gozzii fabulis « solas italici theatri comœdias videt, in quibus decoris et amoris sensus prævaleat ». Italorum contra plerique Gozzio minime indulserunt, quanquam et illum præstanti ingenio fuisse præditum confessi sunt. Vide quid de hoc dixerint Napoli-Signorelli, Uzoni, Gherardini, Ferrari, Lombardi, Tommaseo, Cucetti, De Sanctis, Guerzoni. Majore tamen indulgentia utuntur Carrer et Magrini.

2. *Mémoires,* t. II, p. 262.

hodie exstincta simultas pars non silenda sit litterarum historiæ in Italia, decimo octavo sæculo, resque digna videatur de qua saltem summatim mentio fiat.

Comes Carolus Gozzius, vir singularis et a communi hominum sensu abhorrens, fortunam, dum juvenis erat, multis modis tentaverat : hæc postea narravit in *Commentariis* anno 1780 scriptis, cum jam sexagesimum annum ageret, et anno 1797 editis, quibus « *Inutiles commentarios* », modestiæ favendi gratia, ut ait, titulum imposuit [1], « oscitationem somnumque sese illis allaturum sperans, qui vigilia laborarent ». Quo in libro inter multa narrat se tres annos in Dalmatia meruisse, quæ regio, etiam tum fera ac natura aspera, longe Venetiarum, luxuria et mollitie hebescentium, dissimilis erat. *Commentarii* eo ipso tempore editi fuerunt quo Veneta civitas libertatem amiserat, testamento similes et in quibus exitii causæ explicarentur. Illum, qui ea ætate « civem » Gozzium, quovis alio honorario nomine omisso, appellari se jubebat et qui, in *Commentariorum* suorum procemio nova vocabula, a Gallis in Italiam illata : « Libertatem — Æqualitatem » inscripsit, sæpissime, dum Goldonius Venetiis manebat, cernere erat in Sancti Marci foro deambulantem, statura eminentem, antiquo more vestitum, majorum strictissimum fautorem, taciturnum, acerbo animo atque in melius vertendarum rerum spe omnino destitutum. Sine intermissione animum innumerabilibus intentum litibus habebat, quibus adversarios duodeviginti annos in judicium deduxit, ut rei familiaris usurpatam partem vindicaret ; cum vero interdum aliquid otii illi esset, populum irridebat, qui voluptati tantum indulgens spectaculis sine labore visendis studebat, atque acerrimis jocis aculeisque Goldonium et Chiarium, maxima gratia apud plebem valentes, summopere persequebatur.

Injuria quidem alterum alteri componens eadem lance utrum-

1. *Memorie inutili, pubblicate per umiltà* (1797). Vita defunctus est scriptor anno 1806.

que pensitabat; nam si fecunditate Goldonium Chiarius æquabat, ingenii dotibus longe inferior erat, quanquam litterulis, præsertim latinis, imbutus. Sacerdos simul ac comicus poeta, Chiarius, Brixia ortus, permulta scripserat, inter quæ plurimas fabulas, nec non fictas narrationes, atque etiam lyrica carmina. Ceterum æmuli ambo erant, et Chiarius qui, stipendio constituto, comœdias pro theatris scribebat a Goldonio omissis, argumenta ab illo liberius mutuabatur, cum ad populum alliciendum apta sibi viderentur. Sic, Goldonii instar, martellianum versum usurpavit, Molierum in scænam protulit, *Sericam servam* composuit *Persicam uxorem* imitatus, *Pulchram*que *peregrinam*[1] argumento a Voltarii *Scota* sumpto, non alia quidem ratione atque ipse Goldonius[2]. Nonnulli tamen et Chiarium mirabantur, dumque hunc Gozzius et amici « miserum piscatorem », et « coquum, non poetam », aut « sesquipedales[3] versus scribentem » designabant, Bordonius Chiarium appellabat « virum cujus fama ab Herculis columnis usque ad arcticum polum vulgata esset ».

Carolus Gozzius cum fratre Gaspardo et sodalibus quibusdam Academiam dictam « dei Granelleschi » condiderat, de qua prius mentio facta est, atque ei propositum consilium erat puriorem efficere linguam italicam, « sublata putidæ pompæ, translatorum verborum et figurarum pestilentia, a sexti decimi sæculi poetis illata, ut in juvenum mentibus pulchrarum sententiarum studium et æmulatio substituerentur ». Quod ad rem scænicam pertinet, Gozzius antiquorum morum fautor erat, præsentium rerum tædio nova moliens, ut postea et in rebus publicis egit; itaque extemporalem comœdiam a majoribus traditam acerrime defendebat, et eam « semper lacessitam, nunquam tamen periisse » aiebat, addebatque « per sibi mirum esse quosdam homines, qui

1. *La bella pellegrina.*
2. *La Scozzese.*
3. « Lunghi come canne da serviziale ».

scriptorum famam sua ætate haberent, non animadvertere ridiculos ipsos fieri, cum se serios viros ad minora demitterent iramque deridendam in Brighellam quemdam, in Pantalonem, in Doctorem, in Tartagliam aut Truffaldinum conciperent... Populo semper fore licitum re, quæ sibi placeat, gaudere parumque curare Catones, qui larva induti prohibere velint quin ex eo, quo delectetur, voluptatem percipiat.... Ex improviso recitatam tandem comœdiam Italiæ decori esse. »

Talibus verbis directo petebatur Goldonius, qui sibi operam vindicaverat suæ gentis theatrum emendandi atque extemporalem comœdiam abolendi, nova melioreque forma priori substituta. Itaque respondendo felicem successum se suo modo obtinuisse memoravit, Gozziusque, hanc defensionem secutus, rem eadem trutina pensandam se concedere dixit, et quadam die, in librarii cujusdam officina, præsente Goldonio, vadimonio se tanta plebeculæ, quanta ille gratia valuisset, placiturum esse anili fabula scænæ accommodata spopondit. Illa fuit origo *Trium aureorum malorum*[1], quæ fabula in theatro Sancti Samuelis, saturnalibus diebus, anno 1761, a grege tunc celeberrimo Sacchii acta est. Hæc quidem comœdia multo minus puerili ac fabulosa actione, quæ non ab ipso Gozzio inventa erat, attentionem retinere valet quam quod in ea poetæ adversariis, Goldonio Chiarioque, nullis ambagibus alluditur. Prior enim « magi Cælii », alter « vatis Morganæ » nominibus designantur.

Prologo clarissime ostenditur quid nos maneat : « Videbitis, ait poeta, hac vigilia permultos inexspectatos casus miraculaque, quæ jam vobis forte audita sunt, sed non adhuc his in pulpitis prompta, cum bestias, portas et aves versibus loquentes audietis laureamque merentes, et fortasse versus erunt martelliani, ut libentius plaudatis. »

In scænam enim venit princeps Tartaglia, cujus fœtida anima

1. *L'amor delle tre melarancie.*

facta est, quod nimios martellianos versus avidius voratos digerere nequivit et qui, novo laborans morbo, putridos numeros sputat. Ut sanetur, fenestris dejiciendæ sunt medicorum ampullæ, adhibendi autem antiqui Truffaldini joci. Inutile mihi videtur fabulosam comœdiæ actionem minutatim narrare, in qua aurea mala in regias vertuntur virgines, siti pereuntes cum in lucem produntur, inde in columbas, postquam Smeraldina, « nigra serva », Morganæ vatis jussu, his spiculo caput transfixit; quarum una, Ninetta, multos post casus regulo Tartagliæ nubit. Nuptiale convivium ipsum miratione dignissimum; recoctis enim rapis, musculis et felibus pelle exutis constat.

Populus hoc spectaculo, quanquam quid censeret auctor minus intelligens, maxime fuit delectatus et paulum abfuit quin theatra, pro quibus Goldonius Chiariusque scriberent, omnino fierent vacua. Lepidius etiam in dies succedebant sequentes ejus modi fabulæ [1] atque opinari licet Goldonium Galliam petivisse ibique tam diu mansisse, quod illum sese ita lacessi Gozziumque tam valde, ipsius detrimento, populo placere tæderet.

Fautorem ingenii sui invenerat Gozzius Barettium criticum, *Litterarii flagelli* [2] scriptorem, qui vivam imaginandi facultatem, qualis in *Rege cervo* appareret, antiquiorem arbitrabatur quam veri similiores Goldonii fabulas, vitam vulgari modo imitatas. Peregrinatus erat Barettius Britanniamque noverat et hujus gentis summi dramatici poetæ [3], de quo tunc in Italia mentio fieri incipiebat, opera recitata audierat; « romanticus » igitur criticus

1. *Il corvo, Il re cervo, La Turandot, I pitochi fortunati, La donna serpente, La Zobeide, Il mostro turchino, L'augellin bel verde, Il re dei genii;* quæ prædictæ comœdiæ a poeta fabulæ (*Fiabe*) vocatæ sunt. Alias etiam comœdias diversi generis minusque fabulosas scripsit: *La donna vendicativa, La caduta di donna Eleonora, Il pubblico secreto, Le due notti affannose, L'innamorata da vero, La principessa filosofa, Le droghe d'amore.*

2. *La Frusta letteraria.*

3. *Discorso sopra Shakespeare e Voltaire.*

jam appellari Barettius potest, utpote cui animi impetus atque inexhausta imaginandi vis ratione et judicio magis placeant.

Sed non firmus stabilisque in Italia successus gozzianis fuit fabulis, Hispaniam potius quam Venetias redolentibus. Errabant enim qui hoc novum genus putabant « Italiæ vere convenire », quæ si scurrilium jocorum patria est, non omnino rationem, et cum insaniæ indulget, omittit, nec solum linquere solet ut « nubes et inania captet ». Itaque Goldonius, qui humiliore forte sensu sapiebat, melius Latinorum sentiendi modo atque rationi congruebat quam Gozzius, vel cum lepidissime hic deliraret. Quare meliorem posterior in Germania fortunam constantioremque quam in propria patria invenit. Illius enim fabulas admirati sunt Gœthius, Schillerus [1], Lenzius, Tieckius, quasi novæ « romanticæ » comœdiæ imitanda exemplaria, dumque illæ in Germania gentiliciæ prope videbantur, cito Venetiis in oblivionem ivit qui aliquam gloriæ umbram ultimis earum diebus dederat.

Quanquam Goldonio æmulus fuerat, huic tamen Gozzius æquiorem quam aliis [2] in *Commentariis inutilibus* [3] se præstitit; ibi enim legitur : « Hic vir mihi semper videtur optimo instinctu ad scænam natus; sive autem doctrina carebat et bonum malumque discernere nequibat, sive plebi placere cogebatur, ut miseros comœdos aleret, pro quibus mercede scribebat, sive tandem nimia celeritate, victus causa, quotannis plurimas fabulas componebat, vitiis quæque ex illius italicis comœdiis abundat. »

Tali judicio assentiri non ipse dubitaverim, nam paucis verbis ita exprimuntur quæ pluribus antea dixi. Desiderandum forte jam natu grandiorem Goldonium Galliam petivisse, ubi natura, ut esset, præditus cito agnovisset quam multa sibi deessent et omni ope, lacunas ut expleret, enisus foret. In Italia autem deterrima

---

1. Schiller, ut notum est, *Turandotam* in germanicum sermonem transtulit.
2. Exempli gratia Gratarolo, quem et mortuum asperrime lacessivit.
3. *Memorie inutili*. Pars I, Cap. XXXIV, p. 267-268.

tantum exempla invenit resque publicas ita constitutas, ut suæ genti proprium theatrum condere comœdiamque perfectam efficere non liceret. Verum tamen bonumque sensit, ac, si omnino ex sententia rem inchoatam non gessit, non tantum ipse culpandus quantum illius ætas ac patria. Raro nunc leguntur hujus opera flebilisque comœdia, cui maxime indulsit, hodie obsoleta est. Restat autem et nomen et memoria, quæ non tota ut in oblivionem eant, digna videntur.



APPENDIX

INDEX

OPERUM DRAMATICORUM GOLDONIANORUM



I

COMŒDIÆ

1. *Il colosso.* Favola atellana, composta nel collegio Ghislieri di Pavia (1725).

2. *Il buon vecchio,* o *Il buon padre.* Commedia di due atti, in prosa (1729-1730).

3. *Don Giovanni Tenorio,* o sia *Il dissoluto.* Commedia di cinque atti, in versi (1736).

4 *L'uomo di mondo,* o *Momolo cortesan.* Commedia di tre atti, in prosa (1738).

5. *Il prodigo.* Commedia di tre atti, in prosa (1739).

6. *Le trentadue disgrazie di Arlecchino.* Commedia a soggetto, di tre atti (1739).

7. *La notte critica,* o *Cento e quattro accidenti in una notte.* Commedia a soggetto, di tre atti (1739).

8. *La banca rotta,* o sia *Il mercante fallito.* Commedia di tre atti, in prosa (1740).

9. *La donna di garbo.* Commedia di tre atti, in prosa (1742).

10. *L'impostore.* Commedia di tre atti, in prosa (1743).

11. *Il figlio di Arlecchino perduto e ritrovato.* Commedia a soggetto, di tre atti, in prosa,(1743).

12. *Il frappatore* o *Tonin bella grazia.* Commedia di tre atti, in prosa (1745).

13. *I due gemelli veneziani.* Commedia di tre atti, in prosa (1747)

14. *Il bugiardo.* Commedia di tre atti, in prosa (1748).

15. *La putta onorata.* Commedia di tre atti, in prosa (1748).

16. *La buona moglie.* Commedia di tre atti, in prosa, in seguito dell' altra intitolata: *La putta onorata* (1748).

17. *Il sensale di matrimoni.* Commedia di cinque atti, in versi (1748).

18. *L'uomo prudente.* Commedia di tre atti, in prosa (1748).

19. *La vedova scaltra.* Commedia di tre atti, in prosa (1749).

20. *Il cavaliere e la dama* o *I cicisbei.* Commedia di tre atti, in prosa (1749).

21. *L'erede fortunata.* Commedia di tre atti, in prosa (1749).

22. *La famiglia dell' antiquario,* o sia *La suocera e la nuora.* Commedia di tre atti, in prosa (1749).

23. *Il servitore di due patroni.* Commedia di tre atti, in prosa (1749).

24. *L'adulatore.* Commedia di tre atti, in prosa (1750).

25. *La bottega del caffè.* Commedia di tre atti, in prosa (1750).

26. *Il cavaliere di buon gusto.* Commedia di tre atti, in prosa (1750).

27. *La finta ammalata.* Commedia di tre atti, in prosa (1750).

28. *Le femmine puntigliose.* Commedia di tre atti, in prosa (1750).

29. *Il giocatore.* Commedia di tre atti, in prosa (1750).

30. *Pamela fanciulla.* Commedia di tre atti, in prosa (1750).

31. *Pamela maritata.* Commedia di tre atti, in prosa (1750).

32. *Il padre di famiglia.* Commedia di tre atti, in prosa (1750).

33. *Il poeta fanatico.* Commedia di tre atti, in prosa (1750).

34. *Il teatro comico.* Commedia di tre atti, in prosa (1750).

35. *Un curioso accidente.* Commedia di tre atti, in prosa (1750).

36. *Il vero amico.* Commedia di tre atti, in prosa (1750).

37. *L'amante militare.* Commedia di tre atti, in prosa (1751).

38. *L'avventuriere onorato.* Commedia di tre atti, in prosa (1751).

39. *La donna volubile.* Commedia di tre atti, in prosa (1751).

40. *La gastalda.* Commedia di tre atti, in prosa (1751).

41. *L'incognita perseguitata.* Commedia di tre atti, in prosa (1751).

42. *Il Moliere.* Commedia di cinque atti, in versi (1751).

43. *I pettegolezzi delle donne.* Commedia di tre atti, in prosa (1751).

44. *La pupilla.* Commedia di cinque atti, in versi sdruccioli e di scena stabile (1751).

45. *L'avvocato veneziano.* Commedia di tre atti, in prosa (1752).

46. *Il contrattempo* o sia *Il chiaccherone imprudente.* Commedia di tre atti, in prosa (1752).

47. *Le donne gelose.* Commedia di tre atti, in prosa (1752).

48. *Il feudatario.* Commedia di tre atti, in prosa (1752).

49. *La figlia obbediente.* Commedia di tre atti, in prosa (1752).

50. *La moglie saggia.* Commedia di tre atti, in prosa (1752).

51. *I puntigli domestici.* Commedia di tre atti, in prosa (1752).

52. *La serva amorosa.* Commedia di tre atti, in prosa (1752).

53. *Le donne curiose.* Commedia di tre atti, in prosa (1753).

54. *La donna vendicativa.* Commedia di tre atti, in prosa (1753).

55. *La donna di testa debole* o sia *La vedova infatuata.* Commedia di tre atti, in prosa (1753).

56. *La dama prudente.* Commedia di tre atti, in prosa (1753).

57. *I due Pantaloni,* o *I mercanti.* Commedia di tre atti, in prosa (1753).

58. *Il filosofo inglese.* Commedia di cinque atti, in versi (1753).

59. *Il geloso avaro.* Commedia di tre atti, in prosa (1753).

60. *La locandiera.* Commedia di tre atti, in prosa (1753).

61. *La sposa persiana.* Commedia di cinque atti, in versi (1753).

62. *Il tutore.* Commedia di tre atti, in prosa (1753).

63. *La maschera.* Commedia di tre atti, parte scritta, parte a soggetto (1753).

64. *La cameriera brillante.* Commedia di tre atti, in prosa (1754).

65. *Il festino.* Commedia di cinque atti, in versi (1754).

66. *La madre amorosa.* Commedia di tre atti, in prosa (1754).

67. *I malcontenti.* Commedia di tre atti, in prosa (1754).

68. *La Peruviana.* Commedia di cinque atti, in versi (1754).

69. *Il Terenzio.* Commedia di carattere antico romano, di cinque atti, in versi (1754).

70. *Il vecchio bizzarro.* Commedia di tre atti, in prosa (1754).

71. *La buona famiglia.* Commedia di tre atti, in prosa (1755).

72. *Il cavaliere Giocondo.* Commedia di cinque atti, in versi (1755).

73. *Le donne di casa soa.* Commedia di cinque atti, in versi (1755).

74. *Ircana in Iulfa.* Commedia di cinque atti, in versi (1755).

75. *Le massere.* Commedia di cinque atti, in versi (1755).

76. *Il Torquato Tasso.* Commedia di cinque atti, in versi (1755).

77. *Il raggiratore.* Commedia di tre atti, in prosa (1755).

78. *L'avaro.* Commedia di un atto solo, in prosa (1756).

79. *Il campiello.* Commedia di cinque atti, in versi (1756).

80. *La donna stravagante.* Commedia di cinque atti, in versi (1756).

81. *Le morbinose.* Commedia di cinque atti, in versi (1756).

82. *Ircana in Ispaan.* Commedia di cinque atti, in versi (1756).

83. *La villegiatura.* Commedia di tre atti, in prosa (1756).

84. *Il buon compatriotto.* Commedia di tre atti, in prosa (1756).

85. *L'amante di se medesimo* o *L'egoista.* Commedia di cinque atti, in versi (1757).

86. *Il cavaliere di spirito.* Commedia di cinque atti, in versi (1757).

87. *Il medico olandese.* Commedia di cinque atti, in versi (1757).

88. *Il padre per amore.* Commedia di carattere, di cinque atti, in versi martelliani (1757).

89. *La vedova spiritosa.* Commedia di cinque atti, in versi (1757).

90. *L'apatista* o sia *L'indifferente.* Commedia di cinque atti, in versi (1758).

91. *La bella selvaggia.* Commedia di cinque atti, in versi (1758).

92. *La donna forte.* Commedia di cinque atti, in versi martelliani (1758).

93. *La Dalmatina.* Tragicommedia di cinque atti, in versi (1758).

94. *La donna di governo.* Commedia di cinque atti, in versi (1758).

95. *La donna sola.* Commedia di cinque atti, in versi (1758).

96. *La donna bizzarra.* Commedia di cinque atti, in versi (1758).

97. *Il ricco insidiato.* Commedia di cinque atti, in versi (1758).

98. *La sposa sagace.* Commedia di cinque atti, in versi (1758).

99. *Lo spirito di contradizione.* Commedia di cinque atti, in versi (1758).

100. *La donna di maneggio.* Commedia di tre atti, in prosa (1759).

101. *I morbinosi.* Commedia di cinque atti, in versi (1759).

102. *Le baruffe Chiozzotte.* Commedia di tre atti, in prosa (1760).

103. *La guerra.* Commedia di tre atti, in prosa (1760).

104. *La casa nuova.* Commedia di tre atti, in prosa (1761).

105. *Gl'innamorati.* Commedia di tre atti, in prosa (1761).

106. *L'impresario delle Smirne.* Commedia di cinque atti, in prosa (1761).

107. *L'osteria della posta.* Commedia di un atto solo, in prosa (1761).

108. *I rusteghi.* Commedia in lingua veneziana, di tre atti, in prosa (1761).

109. *La Scozzese.* Commedia di cinque atti, in prosa (1761).

110. *Sior Todero Brontolon* o *Il vecchio fastidioso.* Commedia di tre atti, in prosa (1761).

111. *La buona madre.* Commedia di tre atti, in prosa (1762).

112. *Una delle ultime sere di Carnevale.* Commedia di tre atti, in prosa (1762).

113. *Le smanie per la villegiatura.* Commedia di tre atti, in prosa (1762).

114. *Le avventure della villegiatura.* Commedia di tre atti, in prosa (1762).

115. *Il ritorno dalla villegiatura.* Commedia di tre atti, in prosa (1763).

116. *La forza del sangue* ossia *Arlecchino creduto morto.* Commedia a soggetto di un atto solo (1763).

117. *L'amore paterno* ossia *La serva riconoscente.* Commedia di tre atti, in prosa (1763).

118. *Gli amori di Arlecchino e di Camilla.* Commedia di tre atti, a soggetto (1763).

119. *Camillo albergatore.* Commedia di due atti, in prosa (1764).

120. *L'inganno vendicato.* Commedia di tre atti, a soggetto (1764).

121. *La finta semplice.* Commedia di tre atti, in prosa (1764).

122. *La gelosia di Arlecchino.* Commedia a soggetto (1764).

123. *L'inquietudine di Camilla.* Commedia di tre atti, a soggetto (1764).

124. *Il ritratto di Arlecchino.* Commedia di due atti, a soggetto (1764).

125. *L'inimicizia di Arlechino e di Scapino.* Commedia di due atti, a soggetto (1764).

126. *Arlecchino e Camilla schiavi in Barbaria.* Commedia di tre atti, a soggetto (1765).

127. *Gli amanti timidi,* o sia *L'imbroglio di due ritratti.* Commedia di tre atti, in prosa (1766).

128. *Chi la fa l'aspetta* o sia *La burla vendicata.* Commedia di tre atti, in prosa (1766).

129. *Il genio buono e il genio cattivo.* Commedia di cinque atti, in prosa (1768).

130. *Le bourru bienfaisant.* Comédie française en trois actes et en prose (1771).

131. *L'avare fastueux*. Comédie française en cinq actes et en prose (1772).

132. *Gli amori di Zelinda e Lindoro*. Commedia di tre atti, in prosa.

133. *Le gelosie di Lindoro,* seguito degli *Amori di Zelinda e Lindoro*. Commedia di tre atti, in prosa.

134. *Le inquietudini di Zelinda,* seguito delle *Avventure di Zelinda e Lindoro*. Commedia di tre atti, in prosa.

135. *Il ventaglio*. Commedia di tre atti, in prosa.

136. *Il matrimonio per concorso*. Commedia di tre atti, in prosa.

137. *La burla retrocessa nel contraccambio*. Commedia di cinque atti, in prosa.

138. *La scuola di ballo*. Commedia di cinque atti, in versi.

139. *I due fratelli rivali*. Commedia di un atto solo, a soggetto.

140. *Arlecchino erede ridicolo*. Commedia di cinque atti, a soggetto.

141. *La famiglia in discordia*. Commedia di un atto solo, a soggetto.

142. *Le due Italiane*. Commedia di tre atti, in prosa.

143. *La schiava generosa*. Commedia di tre atti, in prosa.

144. *L'appuntamento notturno*. Commedia di un atto solo, a soggetto.

145. *Arlecchino carbonajo*. Commedia di un atto solo, a soggetto.

146. *L'anello magico*. Commedia di due atti, a soggetto.

147. *Le cinque età di Arlecchino,* Commedia di cinque atti, a soggetto.

148. *Tal padrona, tal serva*. Commedia di cinque atti, in prosa.

149. *I nastri di color rosa*. Commedia di un atto solo, in prosa.

II

TRAGŒDIÆ

1. *Belisario*. Tragedia di cinque atti, in versi (1733).
2. *Griselda* Tragedia di tre atti, in versi, sulle traccie di quella di Apostolo Zeno e di Pietro Pariati (1735).
3. *Rosmonda*. Tragedia di cinque atti, in versi (1735).
4. *Rinaldo di Montalbano*. Tragicommedia di cinque atti, in versi (1736).
5. *Enrico re di Sicilia*. Tragedia di cinque atti, in versi (1737).
6. *Nerone*. Tragedia di cinque atti, in versi (1748).
7. *Enea nel Lazio*. Tragicommedia di cinque atti, in versi (1760).
8. *Zoroastro*. Tragedia di cinque atti, in versi (1760).

III

TRAGŒDIÆ ET COMŒDIÆ CANTIBUS ORNANDÆ[1]

(Drammi per musica)

1. *La cantatrice*. Intermezzo di due atti, in versi (1729-1730).
2. *Amalassunta*. Dramma per musica, di tre atti, in versi (1732).

---

1. Pleræque earum fabularum subdititio auctoris nomine: Polisseno Fegejo, editæ sunt.

3. *Il gondoliere veneziano* o *Gli sdegni amorosi.* Intermezzo di due parti (1733).

4. *La pupilla.* Intermezzo di due parti (1734).

5. *Pisistrato.* Dramma per musica di tre atti (1734).

6. *Aristide.* Intermezzo di due parti eroi-comico per musica (1735).

7. *La birba.* Intermezzo di due parti (1735).

8. *La generosità politica.* Dramma per musica (1736).

9. *La fondazione di Venezia.* Intermezzo di un atto solo (1736).

10. *Lucrezia Romana in Constantinopoli.* Dramma per musica di tre atti (1737).

11. *Germondo.* Dramma per musica di tre atti (1739).

12. *Gustavo Primo, re di Svezia.* Dramma per musica di tre atti (1740).

13. *Oronte re de' Sciti.* Dramma per musica di tre atti (1740).

14. *La Statira.* Dramma per musica di tre atti (1741).

15. *La bottega del caffè.* Dramma per musica di tre atti (1743).

16. *Il filosofo.* Intermezzo di due atti (1743).

17. *La contessina.* Dramma per musica di tre parti (1743).

18. *La scuola moderna.* Dramma giocoso per musica di tre atti (1748).

19. *La maestra di buon gusto.* Dramma giocoso per musica, riformato di Goldoni sopra la *Scuola moderna* (1748).

20. *Bertoldo, Bertoldino e Cacasenno.* Dramma per musica di tre atti (1749).

21. *Il finto principe.* Dramma per musica di tre atti (1749).

22. *La maestra di scuola*. Dramma per musica (1749).

23. *L'Arcadia in Brenta*. Dramma per musica di tre atti (1749).

24. *Il negligente*. Dramma per musica di tre atti (1749). Musica di Paisiello.

25. *Arcifanfano re dei matti*. Dramma per musica di tre atti (1750).

26. *Le donne vendicate*. Dramma per musica di tre atti (1750). Musica di Piccini.

27. *La favola dei tre gobbi*. Intermezzo di due atti (1750).

28. *Il mondo della luna*. Dramma per musica di tre atti (1750).

29. *Il mondo alla roversa* o sia *Le donne comandano*. Dramma per musica di tre atti (1750).

30. *Il paese della Cuccagna*. Dramma per musica di tre atti (1750).

31. *Il conte Caramella*. Dramma per musica di tre atti (1751).

32. *La mascherata*. Dramma per musica di tre parti (1751).

33. *I portentosi effetti della madre natura*. Dramma per musica di tre atti (1752).

34. *Le pescatrici*. Dramma per musica di tre atti (1752).

35. *Le virtuose ridicole*. Dramma per musica (1752). Musica di Paisiello.

36. *L'amante cabala*. Dramma per musica di tre atti (1753).

37. *I bagni d'Albano*. Dramma per musica di tre atti. Musica di Paisiello.

38. *La calamità dei cuori*. Dramma per musica di tre atti (1753).

39. *De gustibus non est disputandum*. Dramma per musica di tre atti (1753).

40. *Il re alla caccia*. Dramma per musica di tre atti (1753).

41. *L'ippocondriaco*. Intermezzo di due parti (1753).

42. *Monsier Petiton*. Intermezzo di due parti (1753).

43. *Lo speziale*. Dramma per musica di tre atti (1753).

44. *La maestra*. Dramma per musica (1754).

45. *I matti per amore*. Dramma per musica di tre atti (1754).

46. *La diavolessa*. Commedia per musica di tre atti (1755).

47. *Le nozze*. Dramma per musica (1755).

48. *La buona figliuola*. Dramma per musica di tre atti (1756). Musica di Piccini e di Duni.

49. *La cascina*. Dramma per musica di tre atti (1756).

50. *Le nozze giocose*. Dramma per musica (1756).

51. *La ritornata da Londra*. Dramma per musica di tre atti (1756).

52. *Il mercato di Malmantile*. Dramma per musica di tre atti (1757).

53. *Il festino*. Dramma per musica di tre atti (1757).

54. *I viaggiatori ridicoli*. Dramma per musica (1757).

55. *L'isola disabitata*. Dramma per musica di tre atti (1757).

56. *Il signor dottore*. Dramma per musica di tre atti (1758).

57. *La conversazione*. Dramma per musica di tre atti (1758).

58. *Buovo d'Antona*. Dramma per musica di tre atti (1759).

59. *Il conte Chicchera*. Dramma per musica (1759).

60. *Li uccellatori*. Dramma per musica di tre atti. (1759).

61. *Amor contadino*. Dramma per musica di tre atti (1760).

62. *Filosofia ed amore.* Dramma per musica di tre atti (1760).

63. *La buona figliuola maritata.* Dramma per musica di tre atti (1761). Musica di Piccini.

64. *L'amor artigiano.* Dramma giocoso per musica (1761).

65. *Amor in caricatura.* Dramma per musica di tre atti (1761).

66. *La fiera di Sinigaglia.* Dramma per musica di tre atti (1761).

67. *La serva astuta* ossia *Il filosofo di campagna.* Intermezzo (1761).

68. *Il viaggiatore ridicolo.* Dramma per musica (1761).

69. *La bella verità.* Dramma per musica di tre atti. Musica di Piccini (1762).

70. *I tre amanti ridicoli.* Dramma per musica (1763).

71. *La donna di governo.* Dramma per musica di tre atti (1764).

72. *La finta semplice.* Dramma per musica di tre atti (1764).

73. *La cameriera spiritosa.* Dramma per musica (1766).

74. *La notte critica.* Dramma per musica (1766).

75. *L'astuzia felice.* Dramma per musica di tre atti (1767).

76. *Le nozze in campagna.* Dramma per musica di tre atti (1768).

77. *L'incognita perseguitata.* Dramma per musica (1773).

78. *L'isola di Bengodi.* Dramma per musica (1777).

79. *I volponi.* Dramma per musica di tre atti (1777).

80. *Il talismano.* Dramma giocoso di tre atti (1777). La musica dell' atto primo è di Salieri.

81. *Vittorina.* Dramma per musica di tre atti (1782).

82. *Il quartiere fortunato*. Intermezzo di due atti, in versi.

83. *L'amor fà l'uomo cieco*. Intermezzo di due atti, in versi.

84. *Il disinganno*. Intermezzo di due atti, in versi [1].

VIDI AC PERLEGI :

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

a. d. XI cal. januar. ann. MDCCCLXXXXIII

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :

Academiæ Parisiensis Rector

GRÉARD.

---

1. De eo quod ad goldonianorum dramaticorum operum vel integras, vel singularum fabularum editiones pertinet, vide : *Bibliografia goldoniana* auctore A. G. Spinelli (Mediolani, 1884).



ARGUMENTUM



PARS PRIMA

Pag.

PROŒMIUM 1

CAPUT PRIMUM.

Qualis fuerit Goldonius 4

CAPUT II.

De italico theatro ante Goldonium 10

CAPUT III.

Quid corrigendo theatro, quantum ad *litteras* pertineat, Goldonius effecerit 19

CAPUT IV.

Quid corrigendo theatro, quantum ad *mores* pertineat, effecerit Goldonius 39



PARS SECUNDA

CAPUT V.

Pag.
Goldonianarum fabularum divisio 53
§ 1. — *De fabulis quæ indoles retractant* 54
§ 2. — *De fabulis quæ ad mores pertinent*. 63
§ 3. — *De popularibus comœdiis* 67
§ 4. — *De plebeiis tragœdiis comœdiisque seriis* 72
§ 5. — *De ceteris operibus*. 76

CAPUT VI.

Quæ sint præcipuæ goldonianæ personæ 78
De viris. 78
§ 1. — *De juris consultis* 79
§ 2. — *De medicis*. 80
§ 3. — *De amatoriis juvenibus* 83
§ 4. — *De parasitis* 86
§ 5. — *De peregrinis*. 88
De mulieribus 92
De mimis 95
De ancillis. 98
De servis 99

TERTIA PARS

CAPUT VII.

De Goldonio Lutetiæ morante. 103

CAPUT VIII.

De Goldonio Gallorum imitatore 115
Conclusio. 131

APPENDIX

Pag.

Index opererum dramaticorum goldonianorum. 144

I. — *Comœdiæ* 144


II. — *Tragœdiæ* 151

III. — *Tragœdiæ et comœdiæ cantibus ornandæ (Drammi per musica)* 151



Nantiaci. — Ex typis Berger-Levrault et sociorum.




3 2044 050 667

